


EX LIBRIS



FREDERICK SELCH



DE  
CAMPANIS  
COMMENTARIUS

A Fr. ANGELO. ROCCHA  
EPISCOPO. TAGASTENSI,  
Et Apostolici Sacrarum Præfecto  
Elucubratus,

AD. SANCTAM. ECCLESIAM  
CATHOLICAM  
DIRECTVS,

In quo multa non minus admiratione, ac scitu  
digna, quam lectu iucunda, in Eccle-  
sia Dei reperiri narratur

*Iuxta diuersa Quæsitæ, quæ in pagina  
quinta videre licet.*

ROMAE,  
Apud Guillelmum  
Facciottum.

*Superiorum permissu*

Anno Domini  
M. DC. XII.

THEOLOGIA

PHILOSOPHIA



A D  
S A N C T A M · E C C L E S I A M  
C A T H O L I C A M

A V C T O R C O M M E N T A R I I .



OCCASIONE sese mihi  
olim oblata ex casu  
quodam in Sacra Con-  
gregatione Rituum e-  
xaminando, hunc de  
Campanis Commenta-  
rium animi causa elu-  
cubrandū suscepi; nunc  
autem Ecclesiasticorum Virorum, & om-  
nium Christi Fidelium commoditati, & vti-  
litati in lucem edendum curavi. Quamuis  
enim nomen Campanæ omnibus cuiuscumq.  
Nationis, ac Linguae vulgariter notum, pa-  
rum nobis polliceri videatur; ipsa tamen  
Campana plus (vt aiunt) in recessu, quàm  
in fronte promittit, ac denique præstat, quip-  
pe quæ multa non minus admiratione, ac sci-



iv.  
tu digna,quàm lectu iucunda , in se compre-  
hendit , non quidem vulgariter cognita , sed  
paucioribus , ac studiosis tantum nota , sicut  
Commentarium hunc legenti planum profe-  
ctò fiet. Qui ergo hæc scire cupit , legere  
ne grauetur : Eum namque legisse fortasse  
non pœnitebit , si patienter leget , materia  
ipsa , de qua loquimur , patientiam postu-  
lante, necnon solatium præter vulgi , & alio-  
rum hominum non paucorum expectatio-  
nem , tandem aliquando capiendum polli-  
cente .



Q V A E S I T A  
I N . C O M M E N T A R I O  
E X P L I C A N D A .

- |    |  |        |
|----|--|--------|
| 1  | <b>D</b> E sæculari, & Ecclesiastica inuentione Campanarum antiqua.  | pag. 1 |
| 2  | De multis, ac diuersis Campanarum nominibus.   | 15     |
| 3  | De multiplici olim apud Ethnicos Campanarū vsu.  | 27     |
| 4  | De Ritu consecrandi, aut benedicendi Campanas.   | 38     |
| 5  | De consecratione Campanarum.   | 39     |
| 6  | De causis consecrandi Campanas, & de effectibus, ac nominibus earumdem.  | 42     |
| 7  | De Campanis consecratis admiranda.   | 59     |
| 8  | De Campanarum origine, quam à Tubis Veteris Testamenti in Ecclesia sancta Dei habere censentur.                      | 71     |
| 9  | De similitudine inter Tubas, & Campanas.   | 72     |
| 10 | De dissimilitudine inter easdem.   | 75     |
| 11 | Diuersi Campanarum sonitus vnde nascantur.   | 76     |
| 12 | De Musico, & admirabili quidem Campanarum concentu, & Inscriptiones earumdem, necnon de Turrium earumdem præstantia. | 79     |
| 13 | De Campanario, siue de officio pulsandi Campanas in sancta Dei Ecclesia, deque eiusdem officij præstantia.           | 96     |
| 14 | De multiplici Campanarum vsu in Ecclesia Dei recepto, tam scilicet laicali, quàm sacro.                              | 108    |
| 15 | De vsu pulsandi Campanas pro Clero congregando, Populoq. conuocando ad officia diuina, & conciones audiendas.        | 110    |

- 16 De Campanis in sacrificio Missæ pulsandis . 115
- 17 De Campana in Vespere , vel in Sero , in Mane , & in Meridie pulsari consueta . 117
- 18 De causis pulsandi Campanam in Vespere , in Mane , & in Meridie . 123
- 19 De vsu pulsandi Campanas ad laudem , & gloriam Dei omnipotentis , & in honorem Sanctorum in diebus festis , & in sacris processionibus celebrandis , necnon in gratiarum actionibus . 131
- 20 De vsu pulsandi Campanas pro Defunctis . 133
- 21 De vsu pulsandi Campanas ad improbas pluias , vel tempestates expellendas . 136
- 22 De vsu pulsandi Campanas in alicuius magni Viri aduentu ad Ciuitatem , &c. 139
- 23 De multiplici vsu Campanæ in Ecclesia sancta Dei tam horis distinguendis , quàm alijs Vniuersitatum , Collegiorum , Scholarum , Communitatum , Cœnobiorum , Xenodochiorum , & Magistratum commoditatibus deseruiente . 144
- 24 De alijs Campanæ vsibus in Ecclesia sancta Dei receptis . 146
- 25 De temporibus , in quibus Campanas pulsare non licet , & cur ita . 148
- 26 De numero Campanarum tam Clericorum sæcularium , quàm Religiosorum Ecclesijs concessis , contentiosa inter Ecclesiasticos Viros præensione olim suborta de numero earumdem . 153



# INDEX AVCTORVM QVI. IN. COMMENTARIO CITANTVR.



**A**  
*Albericus à Rosate I. C.*  
*Albuinus Flaccus Alcuinus.*  
*Aldus Manutius Iunior.*  
*Alphonsus Ciacconius.*  
*Amalarius Fortunatus Archiepiscopus*  
*Treuerensis.*  
*Apollodorus Atheniensis.*  
*Arnoldus Vuion.*  
*Ant. Augustinus Archiepiscopus Tar-*  
*raconensis.*  
*S. Athanasius Episcopus Alexandrinus:*  
*S. Augustinus Doctor Ecclesia.*

**B**  
*Bartholomaeus Fumus Villarensis.*  
*Bartholomaeus Platina.*  
*S. Bernardus.*  
*Burchardus Episcopus Vuormaciensis.*

**C**  
*Anonista diuersi in Libr. Decretal.*  
*Claromontanum.*  
*Concilium* {  
*Coloniense.*  
*Lateranense.*  
*Nicanum.*

*Cesar Baronius S. R. E. Cardinalis.*  
*Celius Rhodiginus.*  
*Columella.*  
*Conradus Abbas Vrspergensis.*  
*Cornelius Scultingius.*

**D**  
*Antes Poeta.*  
*Decius Ausonius.*  
*Dion Cassius.*

**F**  
*Fabius Paulinus.*  
*Ferreolus Locrius.*  
*Flavius Blondus Historicus.*  
*Flavius Iosephus Iudeus.*  
*Franciscus Guicciardinus.*  
*Franciscus Ioannettus.*  
*Franciscus Petrarcha Poeta.*  
*Franciscus Suerius.*

**G**  
*Gabriel Flamma.*  
*Georgius Braunius.*  
*Gilbertus Genebrardus.*  
*S. Gregorius Nazianzenus.*  
*Gregorius IX. Pont. Max.*  
*Guido Pancirollus.*  
*Guillelmus Durandus.*  
*Guillelmus Bernardus.*

**H**  
*S. Hieronymus Doctor Ecclesia.*  
*Hieronimus Cardanus.*  
*Hieronimus Curita.*  
*Hieronimus Magius.*  
*Hieronimus Mercurialis.*  
*Horatius Poeta.*

**I**  
*Iacobus Meyerus.*  
*Iacobus Sprenger.*  
*Innocentius III. Pont. Max.*  
*S. Ioannes Chrysostomus.*  
*S. Ioannes Damascenus.*  
*Ioannes XXII. Pont. Max.*  
*Ioannes Azorius.*

*Ioannes Beleth .*  
*Ioannes Calderinus I. V. D.*  
*Ioannes Fungerus .*  
*Ioannes Grammaticus .*  
*Ioannes Zonaras :*  
*Ifiderus Hispalensis Episcopus .*  
*Iuo Carnothenfis Episcopus .*  
*Iuuenalis Poeta .*

## K

S. **K** *Arelus Borromaus .*  
*Karolus Magnus .*

## L

**L** *Aurentius Surius .*  
*S. Leo Papa .*  
*Leonardus Vairus .*  
*Lucianus Samosatensis .*  
*Lucretius Poeta .*  
*Ludouicus Ariostus Poeta .*

## M

**M** *Artinus del Rio .*  
*Martialis Poeta .*  
*Melchior Hittorpius .*

## N

**N** *Nicolaus Tertius Pont. Max.*  
*Nicolaus Reusnerus .*

## O

**O** *Ldradus I. C.*  
*Onuphrius Panuinius .*  
*Ordo Romanus per antiquus .*  
*Ouidius Poeta .*

## P

**P** *Aulus Merula .*  
*Petrus de Natalibus .*  
*Petrus Gregorius Tholosanus .*  
*Petrus Garfias .*  
*Petrus Messias .*  
*Plautus Poeta .*  
*Plinius Secundus .*  
*Plutarchus .*  
*Polybius Historicus .*  
*Polydorus Virgilius .*  
*Pontificale Romanum .*

## Q

**Q** *Vintilianus Rhetor .*

## R

**R** *Vpertus Abbas Tuitiensis .*

## S

**S** *Igebertus Gemblacensis .*  
*Siluefter Giraldus .*  
*Stephanus Durantus .*  
*Strabo Geographus .*  
*Suetonius Tranquillus .*  
*Suidas Historicus .*

## T

**T** *Heodoreus Episcopus Cyrensis .*  
*Tibullus Poeta .*

## V


**V** *irgilius Poeta .*  
*Vitruuius .*  
*Vitus Amerbachius .*

*Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici .*


*Imprimatur . Fr. Thomas Pallauicinus Magister, & Reuerendissimi P. F. Ludouici Ystella Sacri Palatij Apost. Magistri Socius, Ordinis Prædicatorum .*

CAMPANA · A · XXIII ·  
HOMINIBVS  
PVLSATA

C







CAMPANÆ·XXXIII·ORGANI·SONVM·REDDENTES



# DE CAMPANIS


## COMMENTARIUS

A F. ANGELO . ROCCA . CAMERTE

EPISCOPO . TAGASTENSI

ET . APOSTOLICI . SACRARI . PRAEFECTO

· E L V C V B R A T V S .



### DE . CAMPANARVM . INVENTIONE

*aut antiquitate . Cap. I .*



**D**E Campanis nos verba facturi, occasione sese iam nobis oblata in sacra Rituum Congregatione, ordine Naturæ servato, De Campanarum inventione sermonem primo loco habebimus.

Campanæ in toto orbe Christiano adhibentur, præsertim verò in Ecclesijs, & Monasterijs quibuscumque, necnon alijs in locis, in quibus Hominum coetus, aut conuentus ad aliquam rem præstādā à Christi Fidelibus celebrari solet. Nam Infideles, veluti Turcæ præsertim sunt, Campanis non

Hierony-  
mus Magius  
Episto. Dedi-  
cat. & pag.  
43.

Meschitæ  
quid.

vtuntur, sicut etiam Hieronymus Magius, qui captiuus mansit apud Turcas, testatum reliquit in suo de Tintinnabulis libello, quæ, vt ipse ait, in Turcico ergastulo conscripsit. Immo, vt in Chronicis, & Historijs Turcarum legitur, Constantinopoli, tam potentia, quam diuitiarum splendore clarissima, & antiqua Christianorum Imperatorum sede, capta; Campanæ omnes bombardarum vsui (teste Magio) fuerunt destinatae, etiam si Campanarum vsus ad homines procul per Urbem distitos in vnum statim congregandos, necnon ad singulas diei, noctisque horas indicandas vtilissimus existat. Quamuis enim in Turcarum Templis, quæ Meschitæ dicuntur, altissimæ Turres constructæ reperiantur, quæ Turres Campanariæ Christianorum esse videntur, in ipsis tamen Turribus Campanæ non sunt; sed ex earumdem Turrium fastigijs, vel summitatibus quidam mercede conducti, statis diei, ac noctis horis, magna & sonora quidem voce inclamantes ad Tempia, siue Meschitas, homines conuocare solent. Græci etiam apud Turcas degentes, quippe qui Turcico Imperio subiecti sunt, Campanis carere iubentur,

Cam-



Campanarumq. loco, Tabula quadam lignea, malleis duobus ligneis prænотата, quam Symandrum, vel Synandrum ab hominum Cœtu conuocando dictum appellant; & Ferrea item lamina cum ferreo malleolo concinnata, quam *Αγιοσίδερρον*, Hagiosiderum, hoc est, sanctum ferrum, vocant, vtuntur, dum nonnulli tamquam Campanarij antefores Templi in edito loco Populum ad Templum conuocant, vt Hieronymus Magius dicto in libello scriptum reliquit. Campanarum autem vsum à Turcis vetitum esse Græcis, constat eò, quòd Campanarum sonus nimiam securitatem, & auctoritatem præferat, & valde ad coniuratorum, aut seditiosorum animos, quamuis longè, latèq. dispersos, contra Turcam de improviso congregandos existat idoneus. Turcæ verò, ceteriq. Infideles Campanis non vtuntur, vel dictam ob causam, vel ob hanc fortasse, nescilicet, Christianis extra eorumdem Imperium degentibus adsimiles in hoc saltem ritu esse videantur, etsi, vt infra diffusè dicemus, Campanæ apud Ethnicos erant olim in vfu frequenti. Hinc Saladinus Aegyptius, vel Sultanus, idest Aegypti Rex, vel Prin-

Hagiosiderum, idest sanctum ferrum.

Hiero. Mag. cap. 15. de Tintinnabulis.

ceps, capta Hierosolyma, Ciuitatem hanc ingressus, Campanas è Turribus deiecit, mox Basilicas omnes, præter Salomonis Tēplum, prophanauit: ipsumq. priusquam ingrederetur, aqua rosacea lauiffe fertur. Hæc ex Platina in Urbano III. & Simonetta lib. 5. post Epistolam 81. in Persecutione Urbani III. cap. 82. Et Genebrardo in Chronicis circa Annum Domini M. C. LXXVII. Turcarum exemplum imitantur Hæretici, vt etiam hac in re Stephanus Durantus in primo de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ ait hisce verbis: *Sanè Huguenoti (vel Hugonistæ) & ceteri huius sæculi Hæretici, Campanis bellum indixerunt: Eas enim frangunt, & comminuunt, Saracenos imitantes, qui, vt Platina in Urbano III. scripsit, capta Hierosolyma, Campanas in primis è sacris Turribus deiecerunt.* Hæc Durantus. Cornelius Schultingius in Hierarchica Anacrisi contra Calvinistarum Ecclesiasticam Politiam pro Eupolitia Apostolica, & Canonica, in Synodis Calvinistarum, compulsationes Campanarum tempore sepulturæ Defunctorum prohibitas omnino fuisse scribit. Turcæ quoque, Auctore Cuspiniano, de Religione Turca-

rum,

Plat. Simon.  
& Genebrardus in Chron.  
lib. 4. A.  
D. 1187.

Dur. lib. 1.  
cap. 22.

Cornelius  
Schulting.  
lib. 9. nu. 47.  
& lib. 12. nu.  
47.

rum, vsum Campanarum nequaquam admittunt; Illisq. etiam ipsis Christianis, qui sub ditione eorum viuunt, prohibent. Hæc item Durantus. Quæ profectò, cum ita sint, Hæretici, ac Turcæ magnam similitudinem, & conuenientiam habent cum Dæmonibus, qui sonitum Campanarum tantopere abhorrent, vt infra item dicitur. In solo igitur Orbe Christiano Campanæ adhibentur; Quisnam verò in Ecclesia sancta Dei Campanæ fuerit inuentor, non satis constat, cum hac in re diuersi diuersa sentiant. Polydorus Virgilius in libro de Inuentoribus rerum sexto, huius generis inuentum Sabiniano adscribit ita dicens: *Quòd Tintinnabulorum (hoc est, Campanarum) sono Populus inuitatur, vocaturq. ad sacra audienda stans diei horis, Sabiniani, qui Gregorio successit, hoc decretum est.* Hucusque Polydorus. Hoc item alij de Sabiniano affirmarunt, quorum è numero fuerunt Franciscus Petrarca, & alij. Nouissimè autem Onuphrius Panuinius in Epitome Summorum Pontificum ita inquit de Sabiniano: *Hic Papa Campanarum vsum inuenit, iussitq. vt ad horas Canonicas, & Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* Hæc Panuinius.

Cap. 21.

Hæretici, ac Turcæ Dæmonibus adsimiles.

Polyd. Virg. lib. 6. c. 12.

Onuphrius Panuinius.

Quam-

Sabinian.  
Anno Dñi  
606.

S.Hiero. An.  
Dñi 422.

Tom. 9. pag.  
628.

Anno Dñi  
CCCC.

S. Hierony.  
cap. 39. pag.  
632.

Quamuis verò huius generis inuentum Sabiniano tribuatur ab ijs, quos modo recensuimus; huic tamen sententiæ, aut opinioni aduersantur verba sancti Hieronymi, quem ante Sabinianum ducentos circiter annos floruisse constat. Is enim in Regula Monachorum cap. 33. dum loquitur de Matutino, & de modo recitandi officium diuinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hinc verbis: *Ad matutinas excubias, media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiatur Campanilis sonitus.* Hæc S. Hieronymus, qui in capite trigesimo nono eiusdem Regulæ, postquam verba fecit de Horis Vespertinis, de sonitu Campanulæ, sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum: *Post peractam cœnam, vel si omitteritur, post aliquam horulam iuxta exigentiam temporis ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet; ubi vel de Sanctorum gestis, vel de alijs mirabilibus Dei lectio deuota dicatur.* Ex his profectò locis vsus Campanæ pro Sanctimonialibus in vnum ad Ecclesiam conuocandis tempore sancti Hieronymi ante Sabiniani tempora fuisse apertè constat. Propterea censendum videtur, sententiam probabiliorem

esse

esse illorum, qui Campanæ inuentum (quantum ad Ecclesiasticum vsum) Paulino Sancto, & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim Sanctorum Augustini, & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ inuicem scriptæ id ita esse testantur: immo, vt ait Trithemius, S. Augustini Discipulus fuit. Adde etiam, quòd Campanæ, à Nola ex præcipuis Campaniæ Urbibus vna, cuius Episcopus fuit sanctus Paulinus, Nolæ iam dictæ sunt; & à Campania ipsa, Italiæ Proincia, Campanæ item ab omnibus præfens in tempus vocitantur. Nam sanctus Paulinus, Episcopus Nolanus, Campanæ vsum, primus in suam Ecclesiam inuexisse creditur, atque id ita esse vulgaris, aut communior docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ vsum fuerit ignotus, vel potius in Ecclesijs ad ea vsque tempora non receptus. Priscis namque seculis etiam apud Ethnicos Campanæ in varios vsus adhibitæ inueniebantur, sed sub alijs nuncupatæ nominibus, quæ infra suo loco explicabuntur. Paulino igitur nonnisi quantum ad vsum Ecclesiasticum Campanæ inuentum adscribendum censetur. Sed quamuis Campanæ vsus à

Paulinus inuentor vsus Campanæ in Ecclesijs.

Campanæ vsus in Ecclesia primus auctor quisnâ fuerit.

Campanarum vsus varij, & nomina varia. Vide cap. 2. 3. & 11.

Ann.Dom.  
787. To. 3.  
Cōciliorum

Concil.Nic.  
2. Act. 4. Ba-  
ron. To. 1. A.  
Dom. 58.

Theod.li. 4.

sancto Paulino Episcopo Nolano in Eccle-  
siam fuerit introductus, sacra tamen Ligna  
pro Campanis adhibita, post quadringentos  
circiter annos pulsari quoque solebant, vt  
videre est in secundo Concilio Nicæno,  
actione quarta, in qua ex Libello illi oblato  
de miraculis sancti Anastasij Martyris, hæc  
de pulsatione Lignorum leguntur: *Cum san-  
ctæ Ciuitati Reliquiæ sacræ appropinquassent, om-  
nibus ea res fuit declarata, & significata. Itaque  
letitia magna perfusi omnes, surgentes subito, Li-  
gnaq. sacra pulsantes inuicem, obuiam facti sunt  
in veneranda Virginis Deiparæ Aedæ, quæ ap-  
pellatur Noua. Illinc cum Cruce, & supplica-  
tione egressi, leti, & gaudentes cum gratiarum  
actione sacris Reliquijs occurrerunt. Hæc dicto  
in Concilio. Theodoretus item Episcopus  
Cyrensis, qui floruit circa Annum Dom.  
CD.L. mentionem facit de Tintinnabulis in  
libro 4. Hæreticarum Fabularum in capite  
de Meletianis, in Aegypto hæreticis in hæc  
verba: *Ea ratione, tamquam liberi, & sui iu-  
ris Meletiani, illa quoque ridicula excogitaue-  
runt, interdum quidem corpus aqua mundare, cum  
plausu autem manuum, & quadam saltatione  
hymnos concinere, & multa tintinnabula funi**

*appensa mouere, & alia his similia. Qua de causa magnus ille Athanasius perpetuò cum eis bellum gessit.* Hæc Theodoretus de Tintinnabulis, vel Campanis Meletianorum, contra quos pugnavit Sanctus Athanasius, qui floruit circa Annum Domini CCC.LX. Adde interea, quòd etiam Sancti Hieronymi temporibus alio item signo Christiani ad Ecclesiam convocabantur, hoc est, ad Synaxim, vel ad Collectam inuitabantur, quæ sanè Collecta collectionem plerumque, aut Conuentum, seu Aggregationem hominum significat in Veteri, ac Nouo Testamento, vt etiam Patres interpretantur. A Populi enim collectione, necnon à collectore Sacerdote, qui tamquam ad Dominum pro Populo fungens Legatione, omnium petitiones compendiosa breuitate colligit, atque concludit. Oratio iam dici consuevit Collecta; quæ etiam Eleemosynam, in Conuentu, aut Aggregatione Christianorum pro pauperum alimentis collectam, significabat. De Collecta igitur pro Conuentu, aut Aggregatione Sororum Monialium in vnum ad orandum sumpta, ceteris Collectæ significationibus prætermisissis, loquitur sanctus Hieronymus in Epistola ad

Leuit. 23.  
Numer. 16.  
Deut. lib. 2.  
Paralip. c. 7.  
Hæbr. 10.

S. Hierony.  
Epist. 27. to.  
I.

Eustochium Virginem, siue in Epitaphio Paulæ Matris eius, hunc in modum: *Post ALLELVIA cantatum, (quo signo vocabantur ad Collectam) nulli residere licitum erat: Sed prima, seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur (hoc est, expectabat) aduentum, pudore, & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore.*

Anno ante  
Christum  
natum 80.

Lucianus  
to. 2. in Bal-  
neo Anno  
Dom. C.

Quòd autem ante Christi Domini, Saluatoris nostri, aduentum in carne, vsus Campanarum fuerit, Scriptores diuersi planum profectò faciunt, quorum è numero est Lucianus Samosatenus, qui vixit circa Annum Domini centesimum. Is enim dum Hippixæ Balneum describit, & miris laudibus commendat, de duobus Horologijs dictum Balneum exornantibus, vno per Solem, altero per aquam & sonitum, mentionem facit in hanc verborum formam: *Quin etiam horarum geminis indicatijs idem Balneum exornauit; vno per aquam & sonitum, altero per Solem.* Huius generis Horologium per aquam, & sonitum vidi ego Romæ ab Attilio Parisio vtriusque Iuris consulto excogitatum, & fabricatum, Clementiq. VIII. Pontifici Maximo dono datum (quod Hydrologium dicitur) vnica-

Horologium

Hydrologiũ



tantum rota, & vno tantum pondere sese deuoluens, horarumq. numerum demonstrat Campanæ sonitu: Illi autem Balneo Hippixæ, (qui floruit circa tempora Luciani, vt infra videre licet) non absimile in libello de Tintinnabulis Hieronymi Magij graphicè delineatum repræsentatur.

Lucianus  
to. 2. Hipp.

De Tintinnabulis, vel Campanis, quæ item Aera, Pelues, & Lebetes vocitabantur, vt infra suo loco fusius videre est; mentionem fecerunt, Tibullus, & Ouidius, qui circiter Annos 14. ante Christum natum; Quintilianus, Iuuenalis, & Martialis circa Annos centum post Christum natum vixerunt. Tintinnabula tempore Augusti Imperatoris in vsu fuisse ostendit Suetonius in eiusdem Imperatoris Vita hisce verbis: *Cum dedicatam (inquit) in Capitolio Aedem Tonanti Ioui assidue frequentaret, Augustus somniauit queri Capitolinum Iouem cultores sibi abduci, seq. respondisse, Tonantem pro Ianitore ei appositum. Ideoq. mox Tintinnabulis fastigium Aedis redimiuit, quod ea ferè ianuis dependebant. Dio quoque rem eandem ita refert: Augustus, orto die, Tintinnabulum Ioui Tonanti appendit: his enim Tintinnabulis Bannitores nocturni vtuntur, vt siquid*

Ann. 14. ante Christum natum.

Ann. C. post Christum natum.

Sueton. in Augusto.

Vide Dionem lib. 54.

Strabo lib.  
14. Geo-  
graph.

us sit, significare possint. Hæc Dio, & Suetonius de Augusto, qui quinquaginta & sex annos vixit in Imperio, & in eiusdem Imperij anno quadragesimo secundo ineunte natus est Rex Regum, & Dominus dominantium, Saluator noster Christus Iesus. Strabo Geographus, & Historicus de Tintinnabulis maioribus in varios rerum usus adhibitis loquens, rem quamdam satis festiuam, & auditu dignam in Iasso, Cariæ Insula, factam refert de quodam Citharædo, & Surdastro, dum Tintinnabulum homines ad mercatum inuitaret. Strabo igitur in quartodecimo Geographiæ libro ita inquit: *Cum Citharædus quidam artem ostentaret, audirentq. eum Iassij omnes; quàm primùm Tintinnabulum increpuit vendendorum piscium signum, illi omnes, relicto Citharædo, ad pisces dilapsi sunt, præter unum Surdastrum. Citharædus itaque propius ad illum accedens, ò homo (inquit) gratias tibi ingentes habeo, cum propter Musicæ studium, tum propter honorem erga me. Nam ceteri quàm primùm Tintinnabulum increpuit, omnes abierunt. Ille, quid ais, inquit; num iam Tintinnabulum sonuit? Qui cum affirmaret; At tibi bene sit, inquit; & surgens ipse etiam digressus est.* Hæc Strabo, qui

floruit circa quartumdecimum annum ante Christum natum . De Tintinnabulo maiori mentionem item facit Polybius Historicus Græcus, qui vixit ante Christum ducentos, & amplius annos . Quamuis autem Ecclesiasticus, vel sacer Campanæ maioris vsus (non eius inuentum) Sancto Paulino, Episcopo Nolano, adscribatur; prophanus tamen vsus ante Christum natum multis annorum centurijs cœpisse censetur: talis enim Campanæ vsus non solum ad homines in mercatum conuocandos, vt ex Strabone de piscium venditione cognouimus; verum etiam in Thermis, & in alijs Urbium locis ad varia olim munia apud Ethnicos, vel Gentiles fuit receptus, vt infra suo loco explicabimus, dum de multiplici Campanæ vsu sermonem habebimus . Quisnam verò inter eos fuerit Campanæ inuentor, omnino ignoratur, vt ait Polydorus Virgilius, qui in tertio de Inuentoribus rerum libro cap. 8. multa cum vetera, tum noua recenset inuenta, quorum Inuentores ignorari affirmat, & inter illa multa mentionem facit de Tormento illo æneo, quod Bombardam vocant; de Organano, De Horologio, & de Campana, cu-

Anno 14. ante Christum natum Strabo. Polybius ante Christum natum 225. Ann.

Cap. 3. & 11.

Polyd. Virg. lib. 3. c. 8.

Bombarda Organum Horologiū & Campana

ius tamen Campanæ inuentum antiquissimum esse constat : nam Moyſis temporibus aliquem illius vſum fuiſſe oſtendit Iosephus in tertio Antiquitatum Iudaicarum libro , in cuius capite octauo sermonem habet de Tinnabulis ; & in capite vndecimo de Tuba, & de Campanula , necnon de Buccina cornu scilicet recuruo, tubæ instar inflari solito, & in sacrificijs adhiberi consueto , *cuius os tantum* (inquit Iosephus) *patebat quantum ad inflandum sufficeret , desinebatq. in extremitatem Campanulae similem, quemadmodum Tuba .* Hæc Iosephus , qui dum loquitur de Buccinis , quibus apud Hebræos Plebs ad concionem vocabatur , Principes ad consultandum de Republica exciebantur, vniuersus Populus conuocabatur , & Castra mouebantur , mentionem facit de Campanula , quæ Græce dicitur *κρόνον* : Iosephus enim etsi Hebræus , Græca tamen lingua Iudaicas antiquitates conscripsit , vt alijs Nationibus res Hebraicas promulgaret . Hæc de Campanæ Inuentore atque antiquitate . Si autem Campanæ Inuentorem minus attigimus , id profectò in causa fuit , vt etiam de se Polydorus affirmat , quòd maluerimus paucis verbis certa

Iosephus  
lib. 3. Antiq.  
c. 8. & c. 11.

tradere, quàm incerta persequi multis. Nunc reliquum est, ut rem secundo loco positam, hoc est, Campanarum nomenclaturam agrediamur.

D E C A M P A N A R U M

Nominibus. Cap. II.



CAMPANARVM diuersa sunt nomina ob diuersas quidem causas, quas in iisdem nominibus recensendis diligenter, quoad fieri à nobis poterit, explicare conabimur. Nomina verò, ut in Hieronymi Magij Libello videre licet, sunt hæc :

Hiero. Mag.  
cap. i. de  
Tintinnab.

*Tintinnabulum*

*Petasus*

*Codon*

*Nola*

*Lebes*

*Aes*



*Aeramentum*

*Squilla*

*Crotalum*

*Signum*

*Cloca*

*Campana*

Inter tot diuersa Campanarum nomina Tintinnabulum primo loco sese nobis offert explicandum, tamquam huius generis nomen magis antiquum, ut vidimus; & Campanæ

Tintinnabu-  
lum

Plin. lib. 11.  
capit. 20.  
Virg. lib. 4.  
Georgicorū,  
& Varro lib.  
3.

Plin. lib. 36.  
cap. 13.

Tintinnabu-  
lum unde  
dicatur.

sonitum, quem tinnitum vocant, perbellè repræsentans, ac proprijssimè quidem. Tinnitus enim est proprius metalli sonitus. Hinc Plinius in vndecimo naturalis Historiæ libro de Tintinnabuli proprietate, & metalli sonitu ita inquit: *Apes gaudent plausu, atque tinnitu æris, eoque conuocantur.* Tintinnabulum igitur est æneum instrumentum, quo ad Thermas, vel Balnea, loca aquas habentia, aut sponte Naturæ calentes, aut fornace calefactas, sudandi, lauandiuè vsibus deputata, Populus hora lauandi antiquitus conuocari solebat: Turri enim, vel alicui loco edito imponebatur, vt eius tinnitus procul audiretur, ac perciperetur, iuxta illud Plinij in trigesimo sexto eiusdem Historiæ libro dicentis: *Pyramides ita fastigiatae, vt in summo orbis æneus, & Petasus vnus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis Tintinnabula, quæ vento agitata longè sonitus referrent, vt Dodonæ olim factum.* Hæc Plinius. Est autem Tintinnabulum nomen factitium, à sonitu, vel tinnitu, quem edit dum pulsatur, ita vocitatum. Illud verò, *Bulum*, in voce, *Tintinnabulum*, nihil omninò significat, sed est quædam vocabuli productio, vt

ait Hieronymus Magius, vel desinentia, ut videre est in dictione, *Prostibulo, Incitabulo, Mendicabulo, Vocabulo, Mandibula*, & in ceteris huius generis vocum desinentijs, quas in ipsis vocibus nihil significare constat. Nam sicut à voce Bouis Boatus, & à voce Ovis *Belatus*, vel *Balatus* dicuntur, aut formantur, ita à sonitu Campanæ illo, *Tin, Tin*, dum pulsata tintinnare, siue tintinnare auditur, Tintinnabuli nomen Campana sibi sortita olim fuit: Tinnitus enim propriè de metallis dicitur: Tinnit namque aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, orichalcum, & cetera huiusmodi. Hinc locus ille, quem in Aulis Principum vulgo *Tinnellum*, prandio scilicet, ac cœnæ Aulicorum destinatum, vocant, à Tintinnabuli forsan tinnitu nomen sibi sortitus est, quasi *Tintinnellum*, media syllaba per syncopem detracta dicatur, ut Aldo iuniori, viro sanè politioribus litteris, & ingenij perspicacitate ornato, placet. Huius vero generis tinnitus, pluribus rebus, aut vñibus deseruientem, in vtriusque sexus Monasterijs obseruatum esse constat.

Aldi Iunioris opinio.

*Petafus.*

PETASVS item ab antiquis pro Campana

Petafus

C siue

siue pro maiori Tintinnabulo sumi consueuit, & à galeri, vel pilei latioris forma, & similitudine ita nuncupatus fuit. De hoc ipso Campanæ nomine mentionem facit Plinius in loco nuper laudato, aut citato.

*Codon.*

CODON *κωδων*, vox Græca est, & à Græcis pro Tintinnabulo vsurpata, & ab hac voce tractum est verbum Codonizo, *κωδονίζω*, quod est tinnire, aut crepitaculum sonare. Propterea Hieronymus Magius ait: *Codones dicuntur eo, quòd dum mouentur, sonum, & quasi cantum edere solent, Græca (inquit) ut par est, Etymologia, testantur Ioannes Grammaticus in libros Aristotelis de Anima, & Suidas in Lexico suo, siue collectaneis; vel potius à forma, & similitudine capitum plantæ Papaueris, quæ Codonum voce à Græcis significantur, Codones dici Tintinnabula, aliquis non sine ratione fortasse contendet. Hæc Magius.*

*Nola.*

NOLAE quoque nomine, Cāpanā olim vocitabatur; sed cur ita diceretur, non satis constat, etiam si nonnulli Campanam dictā fuisse Nolam crediderint à Nola Ciuitate Campaniæ mediterranea, cuius Episcopus fuit Pau-

linus

Hier. Mag.  
c. 1. de Tint.

Io. Gramm.

Suidas.



linus, qui primus vsum Campanæ in Ecclesiam suam, vti iam diximus, inuexisse creditur. Sed huius generis Etymologia, siue Nolæ origo esse non potest: Nam ante Paulinum Episcopum Nolanum, de Nola pro Campana mentionem fecit in Oratorij Institutionibus Fabius Quintilianus, qui Domitiani Imperatoris ætate circa Annum Domini nonagesimum floruit. Is enim in capite vltimo libri octauæ affert in medium tritum illud, & antiquum Prouerbium: *Nola in cubiculo*. Quam rem prouerbialiter sumpta intelligendam esse censet Cælius Rhodiginus hisce verbis: *Coniectura ducor esse hoc prolatum in garrulum, desidentem dies totos domi, & nugali verborum futilium importunitate, & copia exundanti, de tinniente, ut obstrepera loquacitate, uti pica, verbosiore obsurdescerent aures, ac veluti Tintinnabulo conuulnerarentur. Vel (quod magis arridet) eos intelligamus, qui domi quidem, & in cubiculo, ubi silentij esse vsum, Varro scribit, fluentia verborum promunt; in foro autem, ubi ciuili eloquentia gloriam sibi comparant viri præstantes, ut testis comprobat Homerus, aut in Senatu, altero ingeniorum theatro, penitus consilescunt,*

Pag. 13.

Quintil. lib. 8. cap. vltimo.

Prouerb. de Nola.

Cæl. Rhod. lib. 19. cap. xi. antiqu. lect.

*funtq. (quod Græci dicunt) etiam piscibus magis  
 muti. Nolam siquidem pro Campana dici observa-  
 uimus. Hæc Rhodiginus. Nolæ igitur no-  
 men pro Campana etiam ante Paulinum  
 Episcopum Nolanum annos circiter trecen-  
 tos vsurpatum fuit. Adde etiam pro ma-  
 iori antiquitate hac in re comprobanda,  
 quòd quamuis Paulinus vsum Campanæ in  
 Ecclesiam suam primus inuexisse credatur,  
 Gennadius tamen in additamento ad Sancti  
 Hieronymi librum de Viris illustribus, de  
 Paulino loquens, nihil tale (vt rectè ait Ma-  
 gius) de ipso refert; quippe qui Nolæ, pro  
 Campana sumptæ, vsum, & nomen ante Pau-  
 linum fuisse non ignorabat. Turris autem  
 illa, cui Campanæ imponuntur, & Campa-  
 nile à Campana deductum italicè vocitatur;  
 Nolariū (quod campanile vulgò in Italia vo-  
 citatur) à Nola sumpta pro Campana deriuat-  
 um, dicebatur, vt ex Inscriptione marmore  
 incisa tēpore Urbani IV. Anno Dom. 1262.  
 constat. Id quod videre licet in pavimento  
 Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Oppidi Marini Co-  
 lumnensium non procul ab Vrbe Roma. In-  
 scriptio legitur in hanc verborum formam:*

Magius. cap.  
 1. de Tintin.

IN . NOMINE . DOMINI . AMEN .  
ANN . DOM . M . CC . LXII .  
ANNO . VERO . PONTIFICATVS . DOM .  
VRBANI . IV . PAPAE  
OPVS . HOC . NOLARII .

Ateste vetustissimo, & nobilissimo Pataui-  
nae Diocesis Municipio in Campanili ma-  
ioris Ecclesiae ad partem exteriorem, Coeme-  
terium versus haec marmore incisa leguntur :

ANNO . DOM . M . CC . LI . INDICT . NONA  
DE . MENSE . MAII . DESTRUCTVM . FVIT  
NOLARE . QVOD . HIC . ERAT . IVSSV  
ECCELINI . DE . ROMANO

IN . M . CC . LXXXV . INDICT . OCTAVA  
DIE . XII . APRILIS . COEPTVM . FVIT  
REHÆDIFICARI . PER . COMMVNE  
ESTENSE .

*Lebes.*

LEBES, vas aeneum est, in quo igni ap-  
ponitur aliquid, ut ebulliat. Quoniam ve-  
rò Lebetes, vel Lebēta ex aere fiunt sicut  
etiam Campanæ, & quamdam Campanarum  
formam satis bellè repræsentare videntur, hi-  
sce de causis Campana Lebetis nomen vulgò  
interdum sibi sortita inuenitur: immò ab  
aere Dodonæo, aere optimo, Lebēta, ut in-  
fra videre licet, Dodonæa dicta fuerunt.

*Aes.*

Virg. lib. 3.  
Aeneidos

Decius Au-  
fonius.

AES Dodonæum quatenus valde resonans, pro Campana usurpatum fuit; Dicitur est autem Aes Dodonæum à Dodona Ciuitate in Chaonia Epiri Regione, iuxta quam propinquum erat nemus Ioui sacrum. Hinc Iupiter Dodonæus. Propterea Virgilius Lebetes, vel Lebeta Dodonæa ab ære optimo, ceu Corinthio tamquam præstantissima ita nominauit. Aufonius autem Aes, vel Ahenum Dodonæum, prouerbialiter dictum sumens, ad Prouerbium, quod in homines garrulos, vel iusto loquaciores dici consuevit, alludit in hæc verba:

*Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.*

Aes enim Dodonæum, prouerbialiter sumptum per translationem, aut per allusionem ad hominem garrulum dicitur, quasi tintinabuli quoddam genus die, noctuq. continuò crepitans. Aes igitur Dodonæum absolute, ac propriè sumptum pro Campana usurpatum fuit.

*Aeramentum.*

AERAMENTVM ab ære deriuatum, quod est ex ære fusum, veluti est Ferramentum ex ferro factum. Campanæ namque va-

ria sibi sortitæ sunt nomina iuxta varias earū formas, aut sonum, & iuxta varias hominum considerationes apud diuersas Nationes.

*Squilla.*

SQVILLAE ad hanc vsque diem Campanulæ, siue paruæ Campanæ in Italia nominantur, vt videre licet apud Stephanum Durantum, & Guillelmum Durandum, & alios. Squillæ vocabulo, pro Campana sumpto, vsus est Franciscus Petrarca in suis vernaculis cantionibus hisce verbis:

*E non sonò poi Squilla.*

item

*Nè senza Squilla si comincia assalto*

item

*A Nona, à Vespro, all' Alba, & alle Squille.*

Eodem quoque ipsius Squillæ vocabulo vsi sunt Dantes Aldigerius, & Ludouicus Ariostus suis in scriptis non semel. Quænam verò vox illa sit, nemo explicat, nisi Hieronymus Magius, qui opinatur illam è Gallia esse desumptam: Inde apud nostrates verbum, *Squillare*, ortum fuisse ait. Sed in Dictionarijs Gallicis huius generis vox non inuenitur, & à Viris Gallis, & quidem eruditissimis talis vox Gallica esse omnino negatur. Quam-

Steph. Durā-  
tus lib. 1. de  
Ritibus cap.  
22. & Guill.  
Dur. lib. 1. c.

4.  
Petrarcha

Dantes, &  
Ariostus.

Magius c. 1.  
de Tint.

uis autem apud Latinos Auctores , & quidem antiquos nomen Squillæ pro quodam herbæ , ac piscis genere inueniatur ; quid tamen talis vox pro Campana significet , non satis constat , nisi verbum *Squillare* , apud Italos pro fonitu quodam peracuto , à Squilla ipsa , Campanula scilicet peracutè sonante deductum , sumi solere dicamus : Squilla enim talem sonum edere solet .

*Crotalum.*

CROTALVM item pro Campana sumebatur apud antiquos ; Græcè autem *κρόταλον* , Crotalon , quod Latinè Crepitaculum vocitatur , à crepitu dictum . Quare à Columella Crepitaculum nuncupatum fuit ; & à Lucretio diminutiui forma Crepitacillum , quod erat ex ære , vel ex ligno , aliavè materia ita concinnatum , vt efficere sonum valeret , si quis manu versaret . Vnde per metaphoram Crotalus dicebatur ille , qui lingua expeditiore , ac voce sonanti , ac prope tinnula , quiquoquacitate sua neminem non obtundit .

*Signum.*

SIGNVM item appellatur Campana , vt in libro perantiquo , qui Ordo Romanus nuncupatur , videre licet . Id quod etiam videre

Columella.

Lucretius.

est

est apud Iuonem parte 4. cap. 45. & libro 2. Pannormiæ cap. 184. & Burchardum lib. 13. cap. 12. necnon Amalarium Fortunatum de Diuinis officijs cap. 1. & alios. Istuc ipsum legitur in tertia Decreti parte, Distinctione prima de Consecratione, capite quinquagesimo, & ex Concilio Cabilonensi descriptum citatur. Campana verò dicitur Signum: quia sonitu illius datur signum, siue indicium faciendi aliquid in Ecclesia, siue in alijs locis, in quibus pulsatur Campana.

*Cloca.*

CLOCA etiam Germanico vocabulo appellatur Campana, vt videre est in capitulari Karoli Magni, vbi legitur: *Cloca non sunt baptizanda*. Gallicè item Campanæ vocitantur Cloches; & quod ab Italis Campanile vulgò dicitur, à Gallis *Clocher d'Eglise* appellatur, hoc est, Campanarium, vel Campanile, siue Campanaria turris Ecclesiæ. Campanula verò Gallicè *Clochette* vocitatur. Hæc ex libro primo Stephani Duranti capite 22. de Ritibus Ecclesiæ, necnon ex Dictionario Petri Canalis Gallicè, & Italicè descripto.

Ordo Romanus. Iuo. p. 4. c. 45. & li. 2. Pann. c. 184. Burchardus lib. 13. cap. 12.

Amalar. de diu. officijs cap. 1.

Caroli Magni Capitulare.

*Campana.*

CAMPANA denique à Campania Italiæ Regione, sicut Nola pro Campana ab ipsa eiusdem Regionis Nola, Campaniæ Ciuitate, ita vocitata, nomen traxisse creditur, præsertim verò propter æs campanum, cui Plinius palmam tribuit, cum ex eo & ollæ, ac lebetes ænei, & Campanæ conflentur: Aes namque Campanum optimum inter omnia æris generæ esse censetur, vt ait Isidorus in decimo sexto Etymologiarum, siue Originum libro, in quo etiam Campanam ab eadem Regione Italiæ nomen accepisse scribit. Istuc ipsum Ioannes Fungerus in Etymologico trilingui scriptum reliquit. Campana igitur ita vocitata nomen sibi sortita censetur à Campania, vel ab aliqua Ciuitate Campaniæ siue sit Nola, vt alij volunt; vel, vt Magius ait, Temesa, siue Tempsa æris fodinis olim nobilitata. Quare ob æris dicti loci, vt diximus, præstantiam, æra quasi per antonomasiam Temesæa dicebantur, vt ex libro quinto Fastorum Ouidij patet dicentis: *Temesæaq. concrepat æra*. Eandem item ob causam, æris videlicet Campaniæ vim, aut excellentiam, æs Campanum antonomasticè dice-

Isidorus lib.  
16. c. 19. &  
24.

Io. Fung. in  
voce Cam-  
pana.

Hier. Mag.  
c. 1. de Tint.

batur



batur. Cum autem Campanæ vocabulum ante Sancti Hieronymi ætatem in antiquis Scriptoribus non reperiatur, eam Gothicam esse vocem, vel ab Artifice Campanarum præcellente, cum frequens Campanarum vsus in Ecclesijs esse cœpisset, Campanam dictam fuisse Magius opinatur: suum tamen hac in re cuique iudicium liberum esse, ait. De Campanarum nominibus hæc dicta sufficiant. Nunc reliquū est, vt rem tertio loco de multiplici earundem vsu propositam, nos tandem aliquando explicandam aggrediamur.

DE . MULTIPLICI . CAMPANARUM  
vsu apud Ethnicos. Cap. III.

**N**OS multiplicem Campanarum vsum explicaturi, prius videbimus, quibus in rebus Ethnici Campanas adhibere consueverint; Postremo autem loco multiplicem earundem vsum apud Christianos tam sæculares, quàm Ecclesiasticos frequentissimum, in medium afferemus, & omnia ad eum pertinentia singulatim explanabimus, cunctis rebus diligenter distinctis. Vsum

autem Ethnicorum in Campanis constitutum breuiter describemus, quippe qui Christianorum in primis Ritus explicandi causa, præsertim verò Ecclesiasticorum, nostrum de Campanis Commentarium conscribendum suscepimus, occasione sese nobis, vti iam initio diximus, oblata in Sacra Rituum Congregatione.

*De Campanarum usu apud Ethnicos.*

**A**D varia olim munia Ethnici, hoc est Gentiles, tinnitu, vel sonitu Campanarum vti solebant,

*Campanæ pro Thermarum usu.*

**T**intinnabuli sonitu, quod hodie Campana dicitur, Romanos antiquos Populum in Thermas stasis horis, vel aduocari, vel ex illis dimitti solere constat. Propterea Martialis de sonitu æris, hoc est, Tintinnabuli, seu Campanæ hunc ait in modum:

*Redde pilam, sonat æs Thermarum, Ludere pergis?  
Virgine vis sola lotus abire domum?*

Ex hisce verbis Martialis colligimus per Cā-

panam

panam monitum fuisse illum, qui in Gymnasio pila exercetur, ut si lauari velit, sonante Campana, properet ad Thermas; sin secus, paulo post nullum lauandi locum futurum, sed sola aqua frigida, quæ Virgo vocabatur, se fore lauandum, certò sciat: Tinnabulo enim, seu Campana Romani è Gymnasio, ut ait Guido Pancirollus, reuocabantur loturi ad Thermas, mox claudendas. Hoc autem loco per sonitum æris non minor, sed maior Campana (ut sentit Magius, & recte quidem) intelligenda est: Nam, ut ipse ait, per tinnitum æris Thermarum non solum qui pila exercebantur, & in Thermas conuenerant, sed qui à Thermis procul aberant, lauatum conuocabantur. Id quod probat Ciceronis auctoritate in Quæstionibus Tusculanis in hanc verborum formam dicentis: *Simul atque increpuit (Thermarum scilicet Campana, ut ipsemet Magius interpretatur) Romani relictis Philosophis, & Præceptoribus, unctum. (Qui enim lauissent ungebantur) ire solebant.* Hæc ex Magio, quem in hac præsertim re sequor: qui, si Romani ad sonitum Campanæ, relictis Philosophis, ac Præceptoribus, unctum ibant, etiam à Ther-

Virgo, idest  
Aqua frigida.

Guido Panciroll. Tit. 9. lib. 2.

Magius c. 3. de Tinninn.

Cicer. lib. 2.  
de Orat.

mis procul aberant, qui fanè maioris Campanæ sonitu tale signum audire non poterant, vt infra clarius patebit. Dicitur autem Ciceronis locus à Magio laudatus, vel citatus est in libro secundo de Oratore, vbi non de Campanæ sonitu, at de sonitu, vel crepitu disci (qui est lanx, idest vas escarium) per iocum Cicero loquitur, dum discum escarium crepitantem ab hominum vulgo libentius audiri, quàm Philosophum affirmat, dicens: *Auditores discum audire malunt, quàm Philosophum; qui simul, vt increpuit, Philosophum disputantem relinquunt.* Magius autem carceri turcico mancipatus excusatione dignus censetur, quippe qui sine libris libellum suum conscripsit.

Aqua frigida cur Virgo.

Iulius Frontinus de aquis.

Bartholom. Marlianus, Francif. Albertinus in Topographia Urbis Romæ.

Aqua verò, quæ à Martiale Virgo dicitur, adhuc extat Romæ ad Campum Martium, necnon ad Triuij Fontem, & ad hanc vsque diem ita vocitatur ob quamdam Virginem, quæ Militibus Romanis, vt Scriptores aiunt, quærentibus aquam, ingentem aquæ venam monstravit, quam deinde Agrippa ab octavo lapide, diuerticulo duorum millium passuum Prænestina via Romam adduxit. Forma ipsius Aquæductus præsens in tempus Ro-

mæ item cernitur non procul ab Ecclesia sancti Siluestri in Octauij Bubali nobilis Romani Hortis, in quibus legitur Inscriptio lapide tiburtino insculpta, vbi fit mentio de dicta Aqua, quæ Virgo nuncupatur.

*Campana pro Mercatu indicando.*

**G**Ræci quoque ad mercatum præstandum in Foro piscatorio, seu Piscario, sub cænam, vt etiam Guido Pancirollus, & alij volunt, pulsabant Nolam (hoc est Campanam) teste Plutarcho in libro Symposiacion quarto post multa hisce verbis: *Qui subinde in Foro piscatorio versantur, & Tintinnabulum celeriter exaudiunt.* Hieronymus autem Mercurialis verba Plutarchi Latinè ita reddidit: *Qui quotidie tabernas, vbi veneunt pisces, circumambulant, exquisitiuè Tintinnabulum audiunt.* Hæc in sua translatione Mercurialis, qui statim subiungit: *Quo ex loco Tintinnabulum à piscium venditoribus usurpatum, vt emptores à longe inuitarentur, etiam colligo.* Hucusque Mercurialis. Ergo si emptores à longe inuitabantur per Tintinnabulum, maior Campana intelligenda est. Istuc ipsum compro-

Plutar.lib.4.  
q.4.

Hiero. Mercurialis lib.  
variarum,  
lectionum.

batur

Strabo lib.  
14. Vide  
pag. 12.

batur auctoritate Strabonis, qui ponit exemplum de Citharædo quodam, ac de Surdaſtro, Tintinnabulo ad mercatum piſcium homines inuitante, vt in capite de Campanæ inuentore, atque antiquitate diximus, & fuſſimè quidem .

*Campana in Triumpho adhibita, & ſupplicio extremo deſtinatis appenſa .*

Zonaras to.  
2. pag. 61.

**I**Oannes Zonaras, Hiſtoricus Græcus præſtantiffimus, in ſecundo Annalium Tomo, dum de Marco Furio Camillo Dictatore, de Veientibus Triumphante, ſermonem habet, Triumphumq. deſcribit, Campanam Curri Triumphantis appenſam fuiſſe inquit; eodemq. ſtatim loco Nolas, vel Campanas ab eis, qui extremo ſupplicio afficiebantur, geſtari conſueuiſſe oſtendit in hanc verborum formam: *Appenſa quoque erat Curri Nola, & flagellum; quæ innuebant, eum in tantas calamitates poſſe incidere, vt aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo ſupplicio afficiebantur, Nolas geſtare ſolebant, ne quis inter eundem, contactu illorum piaculo ſe obſtringeret.* Hucusque Zonaras ad

ver-

verbum . Hoc autem in Triumpho admissum fuit , vt Imperator , vel Triumphator in tantæ felicitatis cumulo , vt ait Magius , admoneretur , ne plus , quàm par esset , efferri , ac superbire vellet , sed humanæ miseræ recorderetur . De ijs , qui ad supplicium extremum à Carnificibus cum Tintinnabulis ducebantur , loquitur Plautus in Pseudolo in hæc verba : *Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis* ; Tintinnaculi verò , vel potius Tintinnaphori , vt alij volunt , erant Carnifices , Tintinnabula ferentes , dum extremo supplicio damnatos ad supplicij locum ducebāt .

Hieron. Magius lib. Tintinn. c. 11.

Plautus in Pseudolo.

*De Campana funeribus adhibita .*

**A**ntiquitus apud Ethnicos , cum quis è vita decedebat , æra , campanæve pulsabantur , vt Guido Pancirollus , & alij ex Theocriti Scholiaste referunt . Ethnicorum namque antiquitas Campanarum sono spectra , & Dæmonum ludibria credebant auerti . Id quod Tibullus non obscure indicat , dum ait :

Guido Pancirollus To. 2.

Tibullus.

*Cantus, et) è curru Lunam deducere tentat ,  
Et faceret , si non æra repulsa sonent .*

Iuuenalis  
Satyra 6.

Aëris enim tinnitu credebant fieri, ut ne magicorum carminum vis ad Lunam perveniret; & Lunam hoc modo laborantem adiuvari. Hinc Iuuenalis:

*Aëra laboranti poterunt succurrere Lunæ.*

Horatius  
lib. 1. ferm.  
Satira 8.

Lunam laborantem superstitiosè intelligebant Gentiles, eamq. præ verecundia rubore suffundi credebant, quòd magico victa carmine cedere cogeretur. De hoc Lunæ rubore ob verecundiam contracto loquitur Horatius dicens:

---- *Lunamq. rubentem,*

*Ne foret his testis, post magna latère sepulcra.*

Ouid. lib. 5.  
Fast.

Quòd etiam Manes, vel potius Dæmones, æris, vel campanæ tinnitu fugari, creditum fuerit à superstitiosa illa Gentilitate, planum profectò fit ex Ouidio, qui in libro Fastorum quinto ita inquit de Umbris, aut Manibus:

*Rursus aquam tangit, Temeseaq. concrepat æra,*

*Et rogat, ut tectis exeat Umbra suis.*

*Cum dixit novies, Manes exite paterni,*

*Respicit, Et purè sacra peracta putat.*

Per Campanarum itaque sonitum, malos, infestosq. Spiritus repelli, aut coërceri superstitiosè credebant Gentiles, quòd Manes,



vt ait Hieronymus Magius, silentium amare crederentur ; vnde & Silentes à Poëtis dicerentur , vt ex Ouidio constat , qui in eodem Fastorum libro ait :

*Mox etiam Lemures animas dixere silentium.*

Vnde quoties Vmbræ huiusmodi loquerētur, exiguo potius murmure , quàm clara voce , vti dicebantur , sicut Ouidius ibidem ait in hæc verba :

*Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,*

*Atque hæc exiguo murmure verba loqui .*

Hac igitur de causa apud Ethnicos æra , siue Campanæ pulsabantur , cum quis è vita decedebat . Sed propriam , & veram huiusce ritus causam explicabimus infra suo loco , dum de Ritu Ecclesiastico , & Campanis consecratis loquemur , quæ ob rem sacram à Dæmonibus timentur .

Cap. 18.

*Tintinnabula in Sacris, in Excubijs, & in priuatis Romanorum Aedibus adhibita.*

**A** Pollodorus in libro illo de Dijs Gentium, Hierophantam, hoc est , Sacerdotem Proserpinæ, Tintinnabulum , vel Campanam in Sacris pulsare consueuisse ait. Deæ

Apollodorus.

Lucian. to. 3  
de Syriæ  
Dea.

Robortellus  
in Octavia-  
no Augusto.  
cap. 91.

Suidas, &  
Pancirollus  
to. 2.

Lucianus .

item Syriæ Sacerdos Tintinnabulo vti con-  
fuevit , sicut scribit Lucianus Samofatensis ,  
qui hunc ait in modum : *Sacerdos postquam ad  
summum Templi peruenit , preces pro unoquoque  
facit : precando autem pariter, ¶ arcum quoddam  
Tintinnabulum pulsat : quod motum, grauiter , at-  
que asperè sonat . De hoc item ritu fidem facit  
Robortellus in Octauiano Augusto , dum de  
ianuis , ac fastigijs , vel summitatibus Tem-  
plorum loquitur in hanc verborum formam :  
Fastigium Tintinnabulis redimitum, & Tintin-  
nabula ferè solebant ex Ianuis Templorum pendere.  
De Tintinnabulis adhibitis in Excubijs mon-  
net Suidas , & Guido Pancirollus ita inquit :  
Excubitores olim in nocturnis vigilijs Tintinna-  
bula secum deferbant ; ad quorum pulsam illico  
respondendum erat . Istuc ipsum à nostris in Ar-  
cibus præsertim fieri solet , vt infra suo loco  
dicetur . Campana denique in priuatis Ro-  
manorum Aedibus pulsabatur , vt refert Lu-  
cianus Samofatensis : Aedes enim ditiorum  
Romanorum amplissimæ Tintinnabulo , seu  
Campana vti solebant ad Familiam excitan-  
dam , sicut Romæ ob eandem causam fieri  
solere non ignoramus : id quod infra , & fu-  
sius quidem , explicabimus .*

*De Campana pro distinguendis horis adhibita.*

**I**nuentis Campanis , introductus quoque fuit vsus Horologiorum , quibus horæ distinguuntur . De Horologiorum ratione , & vsu , atque inuentione loquitur Vitruuius , necnon alij complures . Quoniam verò de antiquo Horologij vsu satis dictum videtur , dum de Campanæ antiquitate verba fecimus ; hinc eò confugiendum est , vbi fit mentio de Balneo Hippixæ , qui floruit circa tempora Luciani , vt ipsemet Lucianus ait , qui vixit circa Annum Domini centesimum . Verum sicut Campanæ inuentor ignoratur , ita etiam sonantis Horologij primus nescitur Auctor . Quid autem iucundius , vt ait Polydorus Virgilius , reperiri potuit Horologio , quo nobis , etsi occultato Sole , per Tintinnabulum sua , sicut ita videtur , sponte sonans , horæ distinctæ nunciantur ? Quid item nobis gratius Campana inueniri potuit , qua tot , tantæq. res hominibus tam utiliter , ac tam commodè indicantur ? Quamuis autem res ita sese habeat , sicut magna ex parte hucusque vidimus , & infra multo plura , & maio-

Vitruuius  
lib.9.c.9.  
Guido Panciroll. to. 2.  
tit. 10.  
Magius c.6.  
de Tintinn.  
Lucian.to.2.  
Hipp.

Polydor. Virgil. li.3.c.18.

ra de multiplici Campanæ usu, ostendemus; utriusque tamen inuentæ rei Auctor, uti diximus, ignoratur. Hæc de multiplici Tintinnabulorum, seu Campanarum usu apud Ethnicos. Nunc reliquum est, ut Campanas benedicendi causam, & ritum apud Christianos; deinde multiplicem earumdem usum explicemus.

*DE . RITV . CONSECRANDI . AUT  
benedicendi Campanas . Cap. IV.*



**M**ULTA ab Ethnicis, falsa Religione, ac superstitione deceptis fieri solebant, quæ deinde à Christianis, & Ecclesiasticis præsertim Viris, falsa Religione, ac superstitione omnino ablata, in usum pium, ac sanctum translata fuerunt, ut in nostro variarum Lectionum Commentario diffusè demonstratum est. Inter Ecclesiasticos Viros extat Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus, Sancti Hieronymi, & S. P. Augustini contemporaneus, uti iam diximus, qui abusum Gentilium sacrorum correxit, & Campanam ad pia munera tra-

Lib. Variar.  
Lectio num.

duxit,

duxit, dum ea primus in sua Ecclesia vltus est, vt eius nimirum fonitu femotius habitantes ad conciones, & precationes, necnon ad Diuina officia, & ad sacrosanctum Missæ Sacrificium, atque ad alia excitari possent. Quæ omnia singulatim explicabuntur, cum primum Campanas consecrandi, aut benedicendi causam, & ritum fuerimus assequuti.

DE CAMPANARVM BENEDICTIONE  
aut Consecratione. Cap. V.



CAMPANAE iuxta perantiquum ac pium institutum in Sancta Dei Ecclesia benedici, aut consecrari solent. Quòd autem huius generis Ritus consecrandi Campanam sit antiquissimus, ex eo, quod Alcuinus in libro de Diuinis officijs ait, satis congruè comprobatur. Is enim Alcuinus, qui floruit circa Annum Domini 770. Bedæ Presbyteri Discipulus, vel Auditor, & Karoli Magni Præceptor, vt inquit Tritheimius, Melchior Hittorpius, & alij; de hoc ritu ita scriptum reliquit: *Neque nouum videri debet Campanas benedicere, & ungere, eisque*

Alcui. Ann.  
Dom. 770.

Melchior  
Hittorpius.

Ordo Romanus.

Melchior Hittorpius in præfatione ad librū de Diu. offi. ac ministris.

*nomen imponere.* Antiquitas item huius ritus confirmatur, quia in Ordine Romano, quem librum antiquissimum esse constat, tota forma benedicendi, aut consecrandi Campanas legitur conscripta, etiamsi dicti libri Auctor ignoretur, ut omnes tam nominis Auctoris ignorationem, quam eius antiquitatem fatentur, præsertim verò Melchior Hittorpius, qui talem antiquitatem multis profectò comprobatis argumentis, quæ breuitatis causa hoc loco silentio prætermittenda censemus, Campanæ consecrationem breuiter explicaturi, ut eius multiplicem usum apud Christianos, præsertim verò apud Ecclesiasticos Viros obseruatum tandem aliquando, ac distinctè quidem repræsentemus.

Campana antequam in Turrim Campanariam, seu Campanis destinata reponatur, consecrari, aut benedici solet iuxta formam in Ordine Romano, uti iam diximus, antiquissimo, necnon in Pontificali Romano conscriptam: Prius enim tota intus, & extra cum aqua benedicta ab Episcopo vnà cum Ministris lauatur, deinde mundo linteo extergitur, dum ab Episcopo cum Ministris aliquot etiam Psalmi recitantur. Quibus fi-

nitit, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto Infirmorum signum Crucis facit extra, & supra Campanam; deinde, oratione ad Campanam pertinente recitata, cum linteo mundo signum Crucis factum ab ipso Episcopo extergitur; & Antiphona cum Psalmo item recitata, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto Infirmorum septem facit Cruces exterius super Campanam, deinde intra Campanam cum Chrismate facit quinque Cruces, dum hæc dicit verba:

*Verba consecrationis Campanæ.*

**S**anctificetur ✠ & consecretur ✠ (Domine) Signum istud: In Nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ Sancti. In honorem Sancti N. Pax tibi. Hac re præstita, & oratione pro effectibus Campanæ consecratæ mirabilibus impetrandis recitata, necnon thymiamate, thure, ac myrrha Thuribulo impositis, Thuribulum ipsum igne accensum, & fumigans, ipsi Campanæ supponitur, vt ea totum illum recipiat fumum. Dum autem Thuribulum Campanæ suppositum manet, cantatur, seu recitatur Antiphona cum Psalmo, in quo

Dei opera mirabilia narrantur, & Psalmo finito, Episcopus orationem dicit, in qua precatur Deum, vt ad sonum Campanæ Christi fideles bonos consequantur effectus, malis omnibus propulsis, & in fugam conuersis; Demum verò, recitato Euangelio, Campanæ consecrationi finis imponitur. Quæ sanè omnia in Pontificali Romano ad amussim conscripta reperiuntur, vbi omnes Psalmos, Orationes, & Antiphonas, quæ in Campanæ consecratione dicuntur, videre licet.

*C A U S A . E T . E F F E C T U S*  
*consecrationis Campanarum, atque nomina*  
*earumdem. Cap. VI.*



**V**R autem Campanæ benedicantur, aut consecrentur ex sententia Patrum, qui Coloniensi Concilio interfuerunt, planum profectò fit in hanc

PER. 9. C. 14.  
 CONC. I. COLON. Prouin.  
 To. 5. Ann.  
 Dom. 1536.

CONC. I. COLON. prouin.  
 p. 9. c. 14. to.  
 5. Conciliorum

verborum formam: *Benedicuntur quoque Campanæ, ut sint. Tubæ Ecclesie militantis, quibus vocatur Populus ad conueniendum in Templum, & audiendum verbum Dei: Clerus verò ad annunciantium manè misericordiam Dei, & veri-*

*tatem*



tatem eius per noctem, ut per illarum sonitum Fideles inuitentur ad preces, & ut crescat in his deuotio fidei, quamuis etiam Patres aliò respexerint, uidelicet, ut Dæmones tinnitu Campanarum, Christianos ad preces concitantium, terreantur, quin potius precibus ipsi territi, abscedant, illisq. summotis, fruges, mentes, & corpora credentium seruentur, ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aëreæ potestates prosternantur. Breuiter; ut audientes confugiant ad Sanctæ matris Ecclesiæ gremium, & ante Sanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodum hæc in solemnibus benedictione Campanæ reperies. Hæc ad verbum ex Concilio Coloniensi primo, cap. 14. Quæ item omnia in Ordine Romano de diuinis officijs nuper commemorato, atque etiam in Pontificali Romano in ipsa Campanæ benedictione, aut consecratione leguntur. Hæ sunt igitur causæ, propter quas benedicuntur, aut consecrantur Campanæ. Huius autem generis consecratio in Ordine Romano, & in libro de Ritibus Ecclesiæ

To. 5. Conc.  
1. Colon. c.  
14. par. 9.

Lib. 1. c. 22.  
nu. 6.

Catholicæ à Stephano Duranto impropriè  
 Baptismus nuncupatur, non quòd Campanæ  
 (inquit etiam ipse) baptizentur Baptismo,  
 quo remissio peccatorum confertur; sed quia  
 per huiusmodi Baptismum, siue potius be-  
 nedictionem, aut consecrationem, Campanæ  
 Aqua benedicta lauantur, necnon sancto  
 Infirmorum Oleo, & sancto Chrismate un-  
 guntur, eisq. nomina imponuntur. Quæ om-  
 nia, & item alia in Baptismo, quo baptizan-  
 tur homines, fieri solent. Ideo Alcuinus, dum  
 de hoc ritu baptizandi Campanas (vt etiam  
 refert Durantus) mentionem facit, ita inquit:  
*Neque nouum uideri debet, Campanas benedice-  
 re, & ungere, eisq. nomen imponere. Nam Ia-  
 cob Genesi 28. memor uisus schale ad Celum  
 usque pertingentis, tulit lapidem, quem capiti  
 suo supposuit, & erexit in titulum fundendo oleum  
 desuper; appellauitq. nomen Urbis Bethel, quæ prius  
 Luzã dicebatur. Quamuis verò in Capitulari  
 Karoli Magni, vt ait Durantus, Clocas,  
 idest, Campanas, apud Gallos ita vocitatas,  
 baptizari, prohibeatur; Vitus tamen Amer-  
 bachius interpretatur prohiberi superstitionem,  
 non autem legitimam, & Ecclesiasticam  
 benedictionem, vel consecrationem:*

Steph. Dur.  
 lib. I. c. 22.

Alcuinus de  
 Diuin. offic.

Gen. 28.

Steph. Dur.  
 vbi supra.

Vitus Amer-  
 bach.

quia

quia Campanæ, vti iam diximus, non baptizantur Baptismo, quo remissio peccatorum, præsertim verò peccati originalis confertur, quippe quæ gratiæ, ac effectus Baptismi capaces non sunt; sed quia cultui diuino dicantur dictas ob causas, necnon propter Aquam benedictam, Oleum sanctum Infirmorum, & sanctum Chrisma, nomenclurumq. impositionem, quæ in hominum Baptismo adhibentur, Baptismus improprie à nonnullis vocitatus fuit. Baptismus enim vox Græca est à verbo Græco *βαπτω*, quod Latinè Tingo, immergo, & lauo, & per vocem à verbo Græco translata, Baptizo, dicitur, pro quo Itali, dicunt, *Lauare*, & *Bagnare*. Hinc à voce, Baptismo, Baptistarium, idest Lauacrum, vocitatur, quod est locus, vel vas ex ligno, aut lapide in cellis, idest, in secretioribus locis ita ædificatum, vt in illud infundi possit aqua; in quam lauandi causa aliquis valeat sese immergere, & lauari commodè queat. De huius generis Baptistario, aut Lauacro loquitur Plinius Iunior ad Appollinarem scribens in hæc verba: *Cella frigidaria, in qua baptisterium amplum, atque opacum est*. Sicut igitur Lauacrum

Campanæ baptismus quo modo sit intelligendus.

Plin. ad Appollinarem.

illud,

illud, in quo homines lauantur, vt à fordibus corporis purgentur, Baptisterium nuncupatur; ita etiam fons ille sacer, in quo humanæ Creaturæ per proprium, & spirituale Baptisma baptizantur, vel lauantur, vt ab Animæ sorde, hoc est, ab originali peccato purgentur, Baptisterium item vocitatur. Ideo sicut per sacrosanctum Baptisma propriè sumptum à sorde, vel labe peccati Creaturæ humanæ purgantur, seu lauantur; ita Campanæ per Aquam benedictam suo modo lauantur, & liberantur à fordibus, & inquinamentis malignorum spirituum, Oleo sancto, & Chrismate, necnon Thymiamate, Thure, ac Myrra, & signis sanctæ Crucis munitæ custodiuntur, necnon ad multa mala propellenda, & ad Christi Fideles excitandos, atque ad sanctam Matrem Ecclesiam inuitandos, & conuocandos consecrantur. Hæc tamen functio in Campana consecranda propter Baptismi formæ carentiam, vt infra, & plenius quidem explicabimus, non est propriè Baptismus, sed benedictio, & consecratio: Campana enim proprii Baptismi non est capax. Visum autem fuit Patribus eas lauare, benedicere, atque vngere, sicut

Campanæ  
consecratio  
caret Baptif  
mi forma.  
Vide pag. 50  
& 51.

& vasa

& vasa Ecclesiastica, & complura id genus alia. Iuxta hunc item sensum Iuo in sermone de Sacramentis Dicationis, Templum suo modo, & suo ordine baptizari solere dixit. Campanæ igitur suo modo baptizantur, idest lauantur, eisq. nomina imponuntur, dum verbis Consecrationis prolatis cum signis Crucis interiectis, vti iam vidimus, hæc adduntur verba: *In honorem Sancti N.* Quo in loco nomen alicuius Sancti, vel Sanctæ pronuntiatur, cuius nomini ob priuatorum hominum, vel alicuius Ecclesiæ, siue Oppidi, vel Ciuitatis deuotionem ratione Patronatus erga talem Sanctum, vel Sanctam, Campana, diuino cultui dedicata, consecratur.

De Campanæ consecratione, ac eiusdem nominis impositione Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis in decimo Annalium Tomo expressam facit mentionem, dum Campanam Basilicæ Lateranensis primariam à Ioanne XIII. sub nomine sancti Ioannis Baptistæ benedictam, aut consecratam fuisse, ait hisce verbis: *Ioannes Pontifex Romam (è Capua scilicet) rediens, cum Imperator ibi (hoc est Capuæ) adhuc moraretur, contigit primariam Late-*

Iuo de Ecclesiastic. Sacram. & officijs in serm. de Sacramētis Dicationis. In to. de Diuinis officijs.

Card. Baro. to. 10. pag. 810.

Cāpana Basil. Lateran. An. Do. 968.

ranensis

*ranensis Ecclesie Campanam mira magnitudinis recens ere fusam super Campanile eleuari: quam prius idem Pontifex sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine (puto Baptista) cuius Ecclesie esset vsui, nuncupauit. Qui sacer Ritus in Ecclesia perseuerauit, ut eo modo, quo ipse vsus est, Cāpana in Ecclesiis collocanda, Deo primū, imposito eis nomine, dicarētur. Quod testantur veteres Codices Rituales; licet errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, dicantur baptizari Campana, cum ita ab Episcopo benedicuntur, non aliunde baptismi in re longè dispari mutuati nomen, nisi quod sicut in Baptismo nomen imponitur baptizato, ita in ea consecratione nomen Campana daretur; Idq. siue ea ratione, ut distingui posset à ceteris, vel quod magis conduceret ad pietatem, si voce Sancti alicuius diceretur Populus ad Ecclesiam conuocari: Cum alicui nihil commune cum Sacramento Baptismatis habeant ceremonie illa; sed magis cum alijs sacrorum vasorum benedictionibus in sancta Catholica Ecclesia antiquo vsu receptis. Hæc Baronius de Ritu consecrandi Campanam, eiq. nomine à Ioanne XIII. circa Annum Domini 968. imposito. Campana tamen apud Græcos circa Annum Dom. 855. sub Nicolao huius nominis primo, in vsu esse*

Vulgi error  
 de Campana  
 Baptismo

An. Do. 968.

An. Do. 865.  
 Card. Baro.  
 to. 10. pag.  
 810.

cœperunt, vt idem Baronius in decimo item Annalium Tomo scriptum reliquit in hæc verba: *Ad hunc quoque annum referunt Scriptores, prosequuti res Venetas, area instrumenta, quæ Campanas dicimus, vsui esse cœpisse Græcis, missis ipsis Campanis à Duce Venetiarum Urso Patriciaco ad Michaelem Imperatorem. Hucusque Baronius, cuius verba si rectè pensitentur, hunc Ritus benedicendi, aut consecrandi Campanas à Ioanne XIII. Pontifice Maximo institutum, siue ortum habuisse circa Annum Domini 968. sensisse videtur, dum ait: Qui sacer Ritus in Ecclesia perseverauit, vt eo modo, quo ipse (Ioannes videlicet) vsus est, Campanas in Ecclesiis collocanda, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur. Sed huius generis Ritus consecrandi Campanas fuit in vsu centurijs annorum aliquot ante Ioannem XIII. Alcuino teste, qui cum floruerit circa Annum Domini 770. de hoc tamen Ritu ita inquit: Neque nouum videri debet Campanas benedicere, & vngere, eisq. nomen imponere. Quare si Ritus consecrandi Campanas apud Alcuinum non erat nouus; ergo dictum Ritus benedicendi, & vngendi Campanas oleis sacris, eisq. nomen imponendi ante Alcuini*

Card. Baro.  
to. 10. pag.  
319.

Campanarum  
missæ ad Im-  
perat. Græ-  
corum.

Card. Baro.  
to. 10. An.  
Dom. 968.  
pag. 810.

Alcuinus A.  
Dom. 770.

tempora fuisse; dicendum est contra ea, quæ de eius Ritus antiquitate alij aliter dixerunt: qui tamen cæremonias illas, hoc est, sacras vñctiones, & alia, non nisi cum alijs sacrorum Vasorum benedictionibus, aut consecrationibus, in Sancta Catholica Ecclesia antiquo vsu receptis, commune aliquod habere optimè aiunt; nominis verò impositionem in Campanis consecrandis ad earùdem distinctionem, & Populi deuotionem excitandam (dum per Campanas ad Ecclesiam Populus conuocatur) Ritus talem institutum esse ostendunt. Quamuis autem, vti suo iam loco diximus, Campanæ lauentur aqua benedicta, & sacris vngantur oleis, eisq; nomen imponatur; functio tamen illa, vel Ritus ille, Baptismus propriè dictus nullo modo est: quia caret Baptismi forma, quæ est: *Ego Te Baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; sine qua forma Baptismus propriè dictus nullo modo esse potest. In consecratione autem Campanæ verba hæc dicuntur: *Sanctificetur ✠, & consecretur ✠ (Domine) Signum istud. In Nomine Patris ✠, & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. In honorem sancti N. Pax tibi.* Per hæc verba dici consueta in Campa-

Cap. de Cõ-  
secr. Cam-  
panæ.

Campanæ  
consecratio  
non est Bap-  
tismus pro-  
priè dictus  
ob formæ  
carentiam.



næ benedictione, fit sola Campanæ consecratio, non autem propriè Baptismus, vt ipsa verba consecrationis expressè sonant: proprij namquè Baptismi Campana capax non est, sed sola creatura rationalis.

Quamuis interea Campanæ pulsandæ vsus etiam apud Christianos, præsertim verò apud Ecclesiasticos viros antiquior esse videatur, quàm eam consecrandi Ritus, ob talis rei mentionem in libris antiquis à me non inuentam, vti iam in capite de antiquitate Campanæ dictum fuit; consecratio tamen Campanæ initium sumpsit aliquot annorum centurijs ante Pontificatum Ioannis XIII. sicut à nobis iam satis probatum fuit. Dicitur deinde Ritus piè, ac sanctè institutus iam inde à tanta ipsius Ritus antiquitate in Campanis consecrandis obseruatus semper fuit, & in toto Christiano Orbe ad hanc vsque diem obseruatur, dum ea omnia nuper enarrata, benedicta scilicet Aqua, Oleum sanctum infirmorum, & sanctum Chrisma, Thymiana, thus, & myrrha, in consecratione Campanarum adhibentur, & nomina eis imponuntur. Immo in Hispania dum Campanæ consecrantur, vel, vt impropriè aiunt, bapti-

Cap. 1.

Cap. 5.

Hispaniæ Ritus in consecranda Campana.

Compatres.

zantur, sed propriè lauantur, Vir & Mulier ex hominibus loci primarijs, tamquam Compatres, admittuntur; ad quam rem præstandam Codex ritualis proprius adhibetur, in quo præter illa, quæ in Pontificali extant Romano, Compatres item commemorantur admissi. Harum rerû in omnibus Ecclesijs recentia quoque non desunt exempla, non solum quantum ad nominum impositionem, sed etiã quantum ad Compatres in Hispania, præsertim verò in aliquot Cataloniae partibus inter consecrandas Campanas admitti consuetos, candido linteo, ad simplicem lauationem indicandã, Campanis cõsecratis imposito pro veste alba, quæ propriè baptizatis imponi solet.

Candida vestis.

Cap. 17.

Quoniam verò Campanæ in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis in Meridie, in Sero, & in Aurora pulsari solent, vt infra & fusiùs quidem suo loco dicemus; multæ Campanæ tam Romæ, quàm alibi, Mariæ nomen in consecratione retinent, inter quas insigne extat exemplum Lutetiæ Parisiorum in augustissima Cathedrali Dei Matris Ecclesia, cuius maxima Campana, vt Paulus Merula in sua Cosmographia scriptum reliquit, Mariæ nomine insignita est: Ait enim Merula

Merula p. 2. lib. 3. c. 31.

la: Campana maxima, cui à Maria Virgine cognomen, viginti Viros flagitat pulsanda; sonitu, sereno celo, per septem Leucas auditur. Hæc Merula de Campana miræ magnitudinis, nomine Mariæ insignita, cui Campanæ assimilatur illa, quæ reperitur in primaria Ecclesia; Deiparæ Virgini dicata Rothomagi, *Rouan*, vulgò nuncupati, quæ est Galliæ Ciuitas, cuius Campanæ pondus est librarum triginta sex, Merula teste, vel quadraginta millium, vt ait Suuertus in *Magium*; Lingua verò librarum sexingentarum decem, eodem Merula teste, ac Ferreolo Locrio. In Bononiensi quoque Prætorio magna extat Campana, cuius circumferentia duobus, ac viginti maioribus palmis constat; altitudo quattuordecim, & amplius; crassities verò palmo vno. Hucusque digredi libuit, maxima Lutetiæ Parisiorum Campana suadente, vt eò, vnde digressi sumus, reuertamur.

Multæ item Campanæ tam in Italia, quàm extra Italiam non solum Beatæ Mariæ semper Virginis, verum etiam Sancti, vel Sanctæ alicuius nomine vocitantur ad Campanarum distinctionem, necnon ad Populi deuotionem, vt iam diximus; excitanda

Vide Ferreo lū pag. 436. in Maria Augusta, & Suetum in Magium.

Campana Rothomagensis.

Merula vbi sup. cap. 30. Suuertus, & Guicciard. in Descript. Germ. inferioris.

Campana Bononiensis Prætorij.

multis quoque Campanis nomina ipsa incisa leguntur tam Dei, ac Deiparæ Virginis, quam aliorum Sanctorum in hanc verborum formam: *Ad Dei, & Beatae Mariae Virginis honorem; Vel hunc in modum: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Ad honorem Dei, ac Beatae Mariae Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli. Verbum caro factum est;* & id genus alia; præsertim verò verba illa de Incarnatione Dei, quatenus Dæmonibus maiorem in modum formidanda. Nam, ceteris exemplis hac de re prætermis- sis, tribus socijs per viam ambulantis, vt Iacobus Sprenger in suo Maleficarum Malleo narrat, duo illorum ictu fulminis percussi fuerunt; tertius autem quamuis territus fuisset ob voces item in aëre clamantes: *Percutiamus & illum;* absque vlla tamen læsione recreatus fuit, atque saluatus ob aliam vocem dicentem: *Hoc fieri non potest, quia ipse hodie audiuit: Verbum caro factum est.* Hoc est, audiuit Missam, in cuius fine recitatur sancti Ioannis Euangelium, in quo legitur: *Et Verbum caro factum est.* Hæc ex Iacobo Sprengero, dicto in libro de Verbi incarnatione, Dæmonibus maiorem in modum formidan-

Verbum ca-  
ro factum  
est.

Iacobus  
Sprenger.

da,

da, & hanc ob rem in Campanis apponi consueta ad fulgura, & tempestates effugandas, quæ à Dæmonibus item concitari possunt, Deo permittente: quoniam corporalis materia quantum ad motum obedire censetur adnutum non solum Angelis bonis, verum etiam Spiritibus malis iuxta Theologorum doctrinam. Deinde in multis Campanis fit mentio de Anno, in quo facta est Campana, necnon de ipsius Ecclesiæ Rectore, vel optimè merito, & Campanæ Artifice, ut ego ipse vidi Romæ, ubi præcipuarum Ecclesiarum, & Basilicarum Inscriptiones Cāpanis incisas perlegi, præsertim verò in Cāpanis Basilicæ S. Ioannis in Laterano, Sanctæ Mariæ Maioris, & sancti Petri in Vaticano. In multis tandem Cāpanis nonnullæ Dictiones per aliquos nominum casus absque vllò, à quo regantur, verbò, in hanc formam incisæ leguntur: *Mentem sanctam spontaneam, Honorem Deo, & Patriæ liberationem. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus; & benedictus fructus ventris tui.* Hæc omnia leguntur in parva Basilicæ sancti Petri Campana, quæ ad Missam primam indicandam, & ad Vesperas festis

Aegid. lib. 2.  
sent. d. 7. q. 3.  
ar. 2. dist. 10.  
q. 3. art. 1.  
dub. 5.

Campanæ  
Basilicarum  
præcipuarū  
Romæ.

Campana  
Basilicæ  
S. Petri.

die-

diebus pulsatur, antequam maiores Campanæ incipiant pulsari. Eædem voces per obliquos nominum casus hoc in loco à nobis cōscriptæ in Campanis Basilicæ sanctæ Mariæ Maioris, aliarumq. Ecclesiarum Romæ, atque alibi leguntur incisæ, quæ à Petro de Natalibus in Catalogo Sanctorum recitantur, dum sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris conscribit Vitam, & Martyrium. Nam, ut ipse ait, dum Fideles corpus Beatæ Agathæ aromatibus condirent, Iuuenis sericis vestibus indutus, quem centum & amplius Iuvenes comitabantur albis vestibus amicti, apparuit, marmoreamq. Tabulam ad eius corporis caput in sepulchro apposuit; deinde cum ceteris Iuuenibus ab omniū oculis euauit, quem Angelum fuisse constat. In Tabula verò hæc legebantur: *Mentem sanctam spontaneam, Honorem Deo, & Patriæ liberationem*. Hæc ex Petro de Natalibus, necnon ex Laurentio Surio, qui dictam recitat historiam, sed voces illas per casus obliquos mutauit hunc in modum: *Mens sancta, Honor in Deum voluntarius, Patriæ redemptio*. Sed Gabriel Flamma eandem Historiam de Tabula marmorea enarratam comprobat, & for-

Petrus de  
Natal. in S.  
Agatha.

Surius to. 1.  
de Vitis SS.

Gabriel Flā  
ma to. 1. de  
Vitis SS.

mam nominum illam per casus obliquos primo loco absque vlllo verbo conscriptam interpretari studet, dum singulas ferè voces marmorea in Tabula incisas meditatur. Denique post satis longam meditationē, tria tribus illius Inscriptionis clausulis apponit verba, quæ ibi desiderabantur. Id quod non ex incuria, nec sine mysterio à Iuvene illo, (idest Angelo) factum fuisse ostendit Gabriel Flamma, qui dictæ Inscriptioni sensum dedit hunc in modum: *Mentem sanctam spontaneam obtulit, Honorem Deo dedit, et Patriæ liberationem impetrauit*; hoc est, Agatha sancta se, & cor suum voluntario dedit dono, quo Deum honorauit. Nam quidquid ipsa fecit, cogitauit, & dixit, passaque fuit, tam viuendo, quàm moriendo, ad honorem Dei retulit, aut direxit. Hinc Patriæ liberationem apud Deum promeruit, sicut factum fuisse constat vnus anni spatium post eius obitum, quando scilicet Mons Aetna in Sicilia perpetuo clarus incendio, ad cuius Montis radices Catania sita cernitur, igneum eructauit flumen, quod cum per totam ferè Siciliam fluitando cursitaret, Catanenses ad Sanctæ Agathæ sepulchrum confestim cucurrerunt, &

An. Do. 253. vt scriptum reliquit Ant. Filoteus in commēt. de Monte Aetna; 252. vt ait Card. Baron. in Martyrol. ex Fastis Onuph. Panuinij.

H ipsius

Die 5. Febr.

ipſius velo inde ſublato, atque ante incendiū expāſo, ſeu explicato, Catania fuit ab ipſo incendiō miraculoſè liberata, igne illo Dei providentia protinus repreſſo, cū dies Martyrij Sanctæ Agathæ anniverſarius foret. Hæc ex Petro de Natalibus, Laurentio Surio, & Gabriele Flamma. Qua de re iam inde ab eo tempore quotieſcumque igneum flumen, ſive incendium ab Aetna eructatur (quod viginti, vel triginta annorum interuallo euenire ſolet) dicto velo ad igneum flumen explicato, incendium ceſſat. Propterea factum reor, vt ipſa Inſcriptio Campanis incidi ſoleat, ad fulgura, ſeu potius ignea flumina propulſanda, tempeſtateſq. expellendas, dum Campanæ; ad hanc item rem præſtandam conſecratæ, pulſantur, vt infra, & plenius quidem ſuo loco dicemus. Hæc de cauſis, & Ritu conſecrandi, aut benedicendi Campanas, necnon de effectibus earumdem ex benedictione, ſive conſecratione ipſa emanare conſuetis. Quamuis autem exempla conſecrandi Campanas innumera ferè ſint per totum Chriſtianum Orbem diſfuſa; exemplum ex Baſilica deſumptum Lateranenſi, quæ eſt omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, & Caput;

Vide c. 21.  
de hac re  
præſtanda.



fat declarat, hunc Ritus consecrandi Campanas rectè fuisse institutum, & Pontificale item Romanum ab omnibus esse obseruandum. Nunc reliquum est, vt admiranda, quæ de Campanis consecratis reperiuntur conscripta, ob oculos ponamus.

ADMIRANDA. DE. CAMPANIS  
consecratis . Cap. VII.

**S**I LENTIO prætermittenda non censentur admiranda illa, & scitu quidem dignissima, quæ de Campanis consecratis narrantur, præsertim verò iuramentum in primis illud in Hibernia, Scotia, & alibi super Campanas præstari consuetum, ob magnam reuerentiam, quæ ipsis adhibetur dictis in locis. Si qui enim super Campanas peierare, hoc est falso, & animo fallendi iurare audeant, plerumque tacitè, vt ita dicam, vel cælitus puniuntur. Si qui verò tales conuicti ab homine peierasse inueniantur, grauitè in eos animaduerti solet, vt colligitur ex eo, quod in Topographia Hiberniæ scriptum reliquit Siluester Giral-

Silueſter Giraldus diſt. 3 c. 33. in Anglica Normannica, Hibernica, Cæbrica. to. in fol.

duſ in hæc verba: *Hoc etiam non prætereundum puto, quòd Campanas baculas, baculoſq. Sanctorum in ſuperiori parte recuruos, auro, & argento, vel ære contextos, ſiue contextos, in magna reuerentia tam Hiberniæ, & Scotiæ, quàm Guallia, vel Uallia Populus, & Clerus habere ſolent; ita ut Sacramenta, (hoc eſt iuramenta) ſuper hæc longè magis, quàm ſuper Euangeliâ, & præſtare vereantur, & peierare. Ex. vi enim quadam occulta, & ijs quaſi diuinitus inſita, necnon & vindicta (cuius præcipuè Sancti illi appetibiles eſſe videntur) plerumque puniuntur contemptores, & grauius animaduertitur in tranſgreſſores. Hæc de Iuramento ſuper Campanas præſtari memoratis in locis conſueto, narrat Giraldus, qui etiam in eadem Topographia de quadam Campana fugitiua ita inquit: *Eſt in Lagenia, in Terra ſcilicet Maſtaleuui Campana quedam, quæ niſi à Cuſtode ſuo, Exorcismo quodam ad hoc compoſito, ſingulis noctibus adiuretur, & vinculo quolibet, vel fragili ligetur; mane in Media apud Clunarech, in Eccleſia ſancti Finiani, unde venerat, reperitur. Quod & aliquoties certum eſt, contigiſſe. Hæc Giraldus ad verbum.**

Sur. to. 5. pagina 2. & 4.

Surius in Vita ſancti Lupi Episcopi Senonensis ad ſonitum Campanæ Senonensis, præ-

cibus

cibus eiusdem Sancti, Hostes viribus destitutos, ac terrore correptos statim fugatos fuisse narrat in hanc verborum formam:

*Mortuo autem Theodorico Principe, Rex Clotarius in Burgundiam veniens, hostili manu armatum Blidebodem Ducem misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in Oppidū vibrante, sanctus Episcopus in Domino fidens, ad Protomartyris Stephani Aedem se contulit. Cumq. ad conuocandum populum, Signum Ecclesie tangeret, viribus Hostes destituti, tantoq. sunt terrore correpti, ut nullam sibi salutis spem superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent. Ita vir sanctissimus, dum instar Moysis ad Cælum tollit manus, Hostes profligat. Hæc Surius de Campana Senonensi, ad cuius tinnitum, vel sonitum hostes fugati fuerunt. De hac eadem Campana idem Surius rem notatu dignam in eiusdem sancti Lupi vita refert hisce verbis: Clotarius Rex ubi comperit Signū, vel Campanam sancti Stephani sonum edere gratissimum, iussit eam Parisios transferri, ut eius tinnitu sepius oblectaretur. Displicuit ea res Beato Episcopo. Itaque mox, ut ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyus iubet suo illam loco restitui. Ubi autem ad Pontem Syriacum ventum est, redijt illi*

Die 1. Septembris. Idē scriptum reliquit ex Suriō Card. Bāro. to. 8. pag. 242. & 243. in Annalib. An. Do. 615. & 616.

pristinus sonus, et ob sancti Viri merita septimo milliaro auditus est. Illicò Vir beatus in Urbe residens, se dat itineri, progrediensq. in occursum eius cum Psallentium Choris, quam dolens amiserat, cum gaudio excipit, gratias agens Deo. Hæc item dicto in loco SURIUS.

Scribit etiam Antonius Augustinus, Archiepiscopus olim Tarraconensis, Vir profectò, eruditione clarissimus, rem sanè dictu item mirabilem de Campana quadam, quæ (vt ipse ait in libro de Numismatibus, quæ Medalix vulgò vocitantur) in Hispania, in Regno scilicet Aragonix, Diœcesi CæsarAugustana in Villula quadam, siue Viliglia Hispanicè hodie dicta, olim Celsa ad Iberim Fluuium sita, nemine ipsam mouente, nonnumquam, vt ita dixerim, sponte sua, vel ex se sonitum reddere, seu personare ob aliquam sanè rem futuram, & notatu dignam testatur, siue ostendit; Multasq. idem Antonius Augustinus recenset vices, in quibus id euenisse accepit; totidemq. tristissimos in medium affert euentus, à spontaneo illius Campanæ sonitu olim præmonstratos; inter quos direptio, seu depopulatio Urbis Romæ tempore Clementis Septimi Anno Domini

Ant. Aug.  
De Numif-  
mat. Dialog.  
6. pag. 194.

Villulæ vel  
Viligliæ Cæ-  
pana spon-  
te sonans.

Urbis Ro-  
mæ direptio  
seu depopu-  
latio.  
M.D.XXVII

M.D.XXVII. Et pestis illa Anno Domini  
 M.D.LXIV. in eodem Regno Cæsaraugu-  
 stano suborta recensentur. Adde etiam, quòd  
 Doctor Petrus Garfias, Canonicus & Ele-  
 mosynarius Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Pilari  
 Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augusti-  
 ni, & olim Rector Ecclesiæ, in qua extat di-  
 cta Campana sponte sua sonans, nunc Romæ,  
 dum hæc scribo, Anno Domini M.DC.IX.  
 commoratur, & eandem Campanam tem-  
 pore sui Rectoratus, hoc est, Anno Domini  
 M.DC.I. à nemine motam à die 13. Iunij vs-  
 que ad trigessimam diem, interpolatis tempo-  
 ribus, frequenter personasse omninò affirmat,  
 atque non semel, etiam me præsentem, id ita  
 esse iureiurando confirmavit, & scriptum ré-  
 liquit. Ad huius autem generis spectaculum  
 quattuor millia hominum cucurrisse addidit,  
 & varios euentus in diuersis Mundi partibus  
 post talem Campanæ sonitum Anno Domi-  
 ni M.DC.I. euenisse affirmavit. Adde etiam,  
 quòd hæc Historia fuit impressa Romæ An-  
 no Domini M.DC.I. & in Bibliotheca An-  
 gelica hodie asseruatur. De spontaneo eius-  
 dem Campanæ sonitu admirando faciunt  
 mentionem Scriptores item alij, hoc est, Pe-

Pestis in Re-  
 gno Cæsar-  
 augustano.  
 M.D.LXIV.

Doctor Pe-  
 trus Garfias.

M.DC.I.

M.DC.I.

Bibliotheca  
 Angelica.

Scriptores  
 alij de Cāpa-  
 na Viligliæ.

P. Gre. Tholof.

trus Gregorius Tholosanus To. 1. de Republica lib. 12. cap. 13. num. 25. Hieronymus

Hier. Curita

Curita, magnus Historicus Regni Aragonum lib. 10. cap. 93. & lib. 14. cap. 27. ad calcem.

Fabius Paulinus.

Fabius Paulinus libro quarto Hebdomadum cap. 7.

Leonardus Vairus lib. 2 cap. 14.

Huiusce item Campanæ miraculi testimonium à publicis Tabellionibus præstitū, Leonardus Vairus in Libro secundo de Fascino se perlegisse testatur hisce verbis: *In Regnis Hispaniæ, in Oppido Vililla nuncupato CesarAugustana Diæcesis Campana quadam est, quam miraculorum appellant: hæc per aliquot menses antequam aliquid aduersi in Christiana Republica contingat, ex se ipsa, nemine impellente, pulsatur. Cuius rei testimonium per publicos Tabelliones, testibus plurimis adhibitis, hisce oculis egomet legi, præter fidem, quam de eadem re illius regni Præreges suis litteris faciebant. Hæc Vairus.*

Alias, Proceres.

Mart. del Rio lib. 4. c. 3. q. 2.

Martinus del Rio libro quarto Disquisitionum Magicarum istuc ipsum refert, quod Vairus de Campana Vilillæ scriptum reliquit. Præterea ex Gobelino Persona in Vita sancti Meinulphi, rem narrat quoque admirandam de quadam Campana in Bodkensi Monasterio in hæc verba: *Tintinnabulū quod-*

dam

dam magnum æneum benè sonorum in Bodkensi Monasterio reuerenter asseruatur . Nam quoties aliqua ex eius Monasterij Sororibus breui erat abitura è vita , absque ullo humano ministerio , per se fortem reddebat sonum . Hucusque Martinus del Rio de Campana Monasterij Bodkensis. De Campanæ autem Vilillæ , vel Viligliæ sonitu spontaneo , & admirando Scriptores alios huius generis miraculum verum esse omnino affirmantes, breuitatis gratia reticemus, aliarum Campanarum admiranda conscripturi .

Sigebertus Gemblacensis in Chronicis Anno Domini M. LXXXI. De Campanis , quæ in Ecclesia Maldemburgensi Flandræsis Prouinciæ sua sponte personuerunt , ita inquit : *Campanarium Ecclesiæ Maldemburgensis , uehementi vento flante , à suis locis euulsum , & ad terram penitus fuit inuersatum , ita in aëre pendens , & ruinam sui minitans , ut semper casurum , & cuncta uicinia confracturum cerneretur . Sed cum per sex noctes , & dies id tractaretur à Populo , qualiter hinc inde extractis machinis sursum erigeretur , & utrumque loco suo relocaretur ; pridie Kalendas Ianuarij circa noctis medium adueniens uirtus diuina , totam Ecclesiam intus & foris im-*

Sigebertus Gemblacen. Anno Dom. 1081. cum alijs scriptoribus in unū tomum collectis. To. 1. in folio.

pleuit luce ignea, & Campanarium ad terram reclinatum, totum simul crexit, ac firmissimè suis locis relocavit; & Campanas ibi dependentes mox sonare compulit. Hæc Sigebertus.

Campanæ  
sua sponte  
sonantes.  
Iacobus Meyerus in Balduino Pio.  
Libro tertio  
Annalium to  
tius Belgij  
Anno Dom.  
1062. pag. 25  
in editione  
vetustiori, &  
pag. 30. in re  
centiori.

Campanæ item Aldemburgenses sponte sua personuerunt, vt ait Iacobus Meyerus in Balduino Pio libro tertio Annalium Flâdriæ ad Ann. Dom. M. LXII. in hanc verborum formam: *Aldemburgij cum fames intolerabilis Flandros premeret, grandisq. multitudo hominum panis querendi gratia conflueret Aldemburgium, repertus quidam fuit prima luce, qui sub dio de nocte fame (vt creditum est) perierat, qui dum sepeliretur, prohibuit Sacerdos Godobertus, ne pulsarentur Campanæ, eo quòd homo esset ignotus. Sed ecce ibi, stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se æra illa (mirum dictu) personuerunt. Hæc in Balduino Pio Iacobus Meyerus.*

Ecclesia Sa-  
lernitana  
Ord. Præd.

In Monasterio Salernitano Ordinis Fratrum Prædicatorum supra portam illius loci, qui vulgò *Capitulum* vocitatur, in quo Patres pro aliqua re decernenda congregari solent, ærea extat Campanula, quæ sponte sua interdum personauit, dum scilicet aliquis ex Familia dicti Conuentus ex hac vita decessit. Cuius rei aliquot recensentur exempla, præ-

fertim



fertim verò illud, quod ante triginta annos euenisse narratur. Illa enim Campanula, nemine ægrotante dicto in Conuentu, perfonuit; sed ecce Sacerdos nouellus die sequenti primam cantaturus Missam, Campanarium cum alijs Fratribus Campanas pulsandi gratia ascendit ad hanc celebritatem, vt fieri solet, indicandam, è summitate illa cecidit, & obijt.

Cum cadauer Beati Isidori, qui Madriti in Hispania quadringentis ab hinc & amplius annis natus est, ex humili sepulchro ad honestiorem locum transferretur, Ecclesiarum Campanæ à nemine pulsata, nullo uè artificio tactæ, diuinitus sponte sua, miro ordine personuerunt, vt Philippus III. Catholicus Hispaniarum Rex in suo Libello supplici, typis mandato, pro eiusdem Beati Isidori canonizatione apud Summum Pontificem Clementem Octauum impetranda, retulit.

In Ecclesia Ordinis Fratrum Carmelitarum Valentia (quæ est Vrbs insignis citerioris Hispaniæ, tribus millibus passuum à mari remota) extat Cappella Beatæ Mariæ semper Virginis, de Consolatione nuncupata, in qua sub terra, & profundè quidem iacebat Cam-

Philipp. III.  
Hispaniarū  
Rex de B.  
Isidoro.

Ecclesia Car-  
melitarum  
Valentiæ.

pana, quæ à Vetula quadam ob vitæ probitatem insigni, & propè dictam Cappellam degente circa Annum Domini 1490. singulo quoque fero, præsertim verò in Sabbato, quâdo scilicet Campana ad Salutationem Angelicam recitandam pulsari solet, Campana illa subterranea sponte sua sonare audiebatur. Hac re tandem promulgata, Rector Conuentus Carmelitani, locum illum à Vetula indicatum excavari iussit. Hinc terra excavata, profundaq. cauea illic effecta, Campana ipsa tandem aliquando inuenta fuit, infra quam erat Imago Beatæ Mariæ semper Virginis lignea & aurata, quam tempore barbaricarû incursionum in loco illo subterraneo inclusam fuisse à Christi Fidelibus, coniecturam faciunt. Non desunt autem, qui dicant, circa dictæ Imaginis pectus aperturam esse, in qua cum sacris Reliquijs Sanctissimum item Sacramentum fuisse inuentum per traditionem affirmant.

In Territorio Gruningæ, quæ est Ciuitas Phrysiæ metropolitana, extat Pagus vocitatus *Brock*, in quo Campanæ sponte sua personarunt; deinde magnam hominum mortalitatem sequutam fuisse Historiæ produnt.

Campana  
inuenta sub  
terra.

Spon-

Spontaneum item sonitum dederunt Campanæ Basilicæ S. Pauli propè & extra muros Urbis Romæ. Nam Anno Domini 1610. Die 24. Octobris, Die Dominico, dum intra Arenariam (quæ inter Basilicam sancti Pauli, & Ecclesiam sancti Sebastiani extat) Notarius publicus de mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Cardinalis Urbis Vicarij, cum alijs commoraretur, vt locum Sanctarum Reliquiarum à Pictore quodam indicatum recognosceret, maiores Campanæ Basilicæ Sancti Pauli personuerunt. Quoniam verò dictæ Campanæ nonnisi in diebus festis solemnibus, & in Summi Pontificis ad ipsam Basilicam aduentu pulsari solent; absente Abbate, Prior Monasterij sancti Pauli, & aliquot eiusdem Monachi ab Ecclesia sancti Sebastiani ad suam Basilicam redeuntes, audito in ipsa Arenaria dictarum Campanarum sonitu, gressus omni festinatione properarunt, Summum Pontificem ad eam Basilicam aduentasse putantes. Postquam autem eò deuentum fuit, nec Summum Pontificem illuc accessisse, nec dictas Campanas ab vlllo prorsus homine pulsatas, aut motas fuisse facti sunt certiores. Idquod

Basilicæ sancti Pauli Romæ Campana sponte sua personuit An.Do. 1610.

omnibus persuasissimum fuit, tum ob ingentem Campanarum magnitudinem, tum quia ingressus ad eas haud facile patet, atque in tali die dictæ Campanæ, uti iam diximus, pulsari non solent. Idcirco ad certitudinem, ac venerationem sanctarum Reliquiarum indicandam, spontaneum Campanarum sonitum diuinitus factum esse, piè credendum censeatur.

Multa item alia in hanc rem exempla dicenda supersunt, quæ nimis longum esset recensere. Hæc itaque dicta sufficiant de admiranda virtute Campanis cōsecratis ad res occultas præsentis, & futuras indicandas, necnon ad alios effectus, admirationē dignos producendos loco, ac tempore diuinitus immissa. Nunc reliquum est, ut Campanarum Ecclesiasticarum originem à Tubis Veteris Testamenti in sancta Dei Ecclesia deductam in medium afferamus.



DE . ORIGINE . CAMPANARVM  
à Tubis Veteris Testamenti deducta.

Cap. VIII.



CAMPANARVM Originem à Tubis Veteris Testamenti habere, censendum videtur : Nam in Veteri Testamento Dominus Deus, vt legitur in decimo Numerorum capite, Tubas fieri mandauit, dum Moyfi dixit : *Fac tibi duas Tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.* Et infra post multa de congregando Populo à Filijs Sacerdotis Aaron, atque de tempore procedendi ad bellum, ad Clangorem Tubarum, necnon diebus festis, & lætitiæ, deq. Holocaustis, & victimis pacificis, ac de oblationibus, Tubarum item clangore indicandis loquitur in hanc verborum formam : *Filij autem Aaron Sacerdotis clangent Tubis, eritq. hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de Terra vestra contra Hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis ululantibus Tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo*

Num. 10.

Num. 10.

vestro

*vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas, canetis Tubis super Holocaustis, & Victimis pacificis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri.* Hæc de Tubis in decimo Numerorum capite. Ut autem Campanæ à Tubis Veteris Testamenti per ea, quæ in dicto Numerorum capite leguntur, originem habere comprobentur, similitudinem inter Tubas, & Campanas ob multiplicem earumdem usum ductam expendere, seu examinare necesse est.

*DE. SIMILITUDINE. INTER  
Tubas, & Campanas. Cap. IX.*



**I**N decimo, ut vidimus, Numerorum capite, Tubarum usus ad plura pertinebat, ad Castrorum scilicet motionem, ad belli congressionem, ad Populi congregationem, ad Festi celebrationem, ad Epuli oblationem, ad Holocausta, & Victimam pacificas. Sicut autem hæc omnia in Veteri Testamento ad Tubarum fiebant clangorem, ita totidem, at illis modo suo similia,

in Nouo Testamento ad Campanarum sonitum celebrantur. Nunc enim in sancta Dei Ecclesia pro Castrorum motione, Belli congressione, atque Populi congregatione, Lustrationes, vel supplicationes, quas vulgò Processiones appellant, præuiò sanctissimæ Crucis vexillo, Cléro sequente, & populo comitante, celebrantur, & vultantium Tubarum loco, Campanæ pulsantur pro Victoria consequenda contra Dæmones Humani generis hostes, hoc est, contra eorundem consultationes, & insidias, & contra alia mala, vt implorata misericordia Dei omnipotentis, & clementis, cuius, vt ait S. Leo, *natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est*, opus misericordiæ consequamur.

Tubarum item loco super Holocaustis, & Victimis pacificis in Veteri Testamento clāgentium, nunc ad laudem, honorem, & gloriam incruenti sacrificij in Sancta Dei Ecclesia, vt iam diximus, Campanæ pulsantur.

Interea sicut ad festos dies celebrandos Tubæ olim clangebant; ita nunc ad Festiuitates repræsentandas, & venerandas, Campanæ pulsantur.

Sicut denique in Veteri Testamento tam

S. Leo serm. 2. de Natiu. Dom. & legitur in Annunc. B. Mariæ semper Virginis officio.

in aduersis, quàm in prosperis rebus ex præcepto Dei Tubis clangendum erat; ita nunc iuxta temporum varietatem, & rerum indigentiam pulsari solent Campanæ, dum scilicet ad pœnitentiam, & lacrymarum compunctionem excitamur, & ad Dei misericordiam implorandam prouocamur.

Adde etiam, quòd omne tempus conuenit verbo Dei. Modò enim legendum est, modò Deo cantandum, modò orandum, modò exhortandum, modò docendum, modò tandem increpandum: Hæc enim omnia in Ecclesia sancta Dei fieri solent iuxta illud Beati Pauli Apostoli ad Timotheum scribentis: *Prædica verbum; insta opportunè, importunè; Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: Necnon iuxta illud Psalmi: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Ad hæc tandem omnia præstanda, iuxta rerum congruentiam, ac distinctionem, Campanæ item congruè, ac distinctè pulsantur. Hæc de origine, quam à Tubis Veteris Testamenti Campanæ Noui Testamenti quatum ad vsum traxisse censentur, quãdam inter se similitudinem habentes, vt dissimilitudinem earumdem videamus.

Tim. 4.

Psal. 33.



## DISSIMILITUDO. INTER TUBAS. ET

Campanas. Cap. X.



**Q**UANTVM verò ad mate-  
 riam, & formam, Tubæ atque  
 Campanæ sunt dissimiles: Illæ  
 namque argentæ; hæ autem  
 ex ære conflatæ: Illæ ductiles,  
 hæ conflatiles; Illæ satis oblongæ, angustæ,  
 ac subtiles; hæ quasi rotundæ, atque crassæ,  
 quamdam tamen galeri, aut pyri formam re-  
 præsentantes. Campanæ denique fiunt ex  
 ære, quod est metallum durabile, ac sono-  
 rum; atque intus habent ferreum instrumen-  
 tum, quo percutiuntur, vt sonitum reddant;  
 Nouiq. Testamenti Prædicatorum ora signi-  
 ficant, quæ plus durant, quàm Tubæ Vete-  
 ris Testamenti, altiusq. resonant. Notus nã-  
 que olim erat tantum in Iudæa Deus, nunc  
 autem in toto Terrarum Orbe, vt rectè  
 ostendit Amalarius Fortunatus, Episcopus  
 Treuerensis in libro tertio de Ecclesiasticis  
 officijs capite primo; in quo hæc omnia dif-  
 fusè declarat, sicut infra videre licet, eo sci-  
 licet in loco, in quo de officio pulsandi Cam-

Amalarius  
 Fortunatus  
 lib. 3. c. 1.

Cap. 13.

panas habetur sermo . Hæc hæctenus de Campanis, ad Tubas relatis, vt rem præcipuam initio propositam prosequamur .

*CAMPANARVM SONITVS. DIVERSI  
unde oriantur. Cap. XI.*



CAMPANARVM sonitus diuersi sunt iuxta materiæ, ac formæ diuersitatem. Materia enim ex æris, stanni, plumbiq. mixtione constare solet, secundum varia Opificum consilia; vt ait Hieronymus Magius. Nam si grauem (inquit) sonum quæsiuerint, stanni, plumbiq. non parum æri admiscent: si acutum, stanno, plumboq. plus parcunt. Sed sæculis superioribus; cum avaritia minus, vt Magius inquit, sæuaret, vel maior argenti foret, vt reor, copia, argentum multum opifices infundendis Campanis admiscere solebant. Id quod ex ipso antiquarum Campanarum sonitu planum profectò fieri tradit Magius, qui duas huius generis Campanas in Sancti Bartholomæi Ecclesia apud suos conterraneos Anglarenses reperiri ait.

Mag. c. 20.  
de Tintinn.

Magius vbi  
supra .

Anglaren-  
Magij, Pa-  
tria .

For-

Formæ item Campanarum diuersæ, maiores videlicet, & minores; magis, & minus crassæ; magis quoque, ac minus oblongæ, vel magis, & minus latæ; necnon magis & minus pyri, vel magis aut minus petasi vel galeri, aut pilei formam repræsentantes, efficiunt sonituum diuersitatem. Propterea

Magius ex diuersitate formarum diuersos Campanarum sonitus breuiter colligit, & comprehendit in hæc verba: *Campanæ non solum materiam, sed et formam plurimum ad soni magnitudinem, et suauitatem conducere certo scimus. Si humiliores, latioresq. petasi seu galeri, aut lebetis figura efformentur, sonum non admodum magnum, et ingratum auribus edunt: Si verò longiores, crassioresq. quàm artis ratio patitur, obtusum, nec latè dimanantem emittunt.*

*Artis præscripto Campanæ altitudo duplici oris diametro constat, at paulò breuiore mensura. Forma pyri longioris effigiem emulatur, atque exprimit. Antiquorum Tintinnabula magis ad galeri, quàm ad huiusmodi pomi formam accedebant, erantq. tenuiora, quam obrem et rauca, et minus, quàm nostra sint, sonora. Hæc Magius ad verbum.*

Sonitus denique Campanarum diuersitatem efficiunt diuersa illa ferrea instrumenta,

qui-

Mag. c. 20.  
de Tintin.

Formæ Campanarum, diuersæ sonitus efficiunt diuersos.

Campanæ præscriptū est præceptum, vel regula fundendi Campanam.

quibus Campanæ intus pulsantur. Dicuntur autem diuersa, iuxta maiorem, & minorem ferri quantitatem. Si enim ferreum illud instrumentum (quod Rhopalum Græcè dicitur, Latinè autem Malleus, & Lingua nuncupatur) habeat cum Campana proportionem, congruum Campanæ quantitati sonitum reddit, & auribus gratum; sin secus, vel obtusum, vel asperum, siue nimis acutum (quem vulgò squillantem appellant) & auribus ingratum. Hinc ferreum illud instrumentum perpulchrè, ac satis propriè Lingua Campanæ nuncupatur, quippe quæ in ipsa Campana suo modo facit, quod Lingua in homine. De varijs Campanarum formis fundendis; necnon de Instrumentis, quibus Campanæ pulsantur, iuxta varias Campanarum formas faciendis, Vannuccius Biringuccius Senensis, Artifex Campanarum egregius, perscribit in sua Pyrotechnia, in qua etiam docet quonam pacto Campanæ in Turribus constitui, aut suspendi, & moueri debeant, multaq. figuris delineatis optimè demonstrat.

Campanæ  
lingua quæ-  
nam sit.

Campanæ  
lingua quæ-  
nam sit.

Vannuc. Bi-  
ringuc. lib.  
6. à c. 10. vf-  
que ad 15.

DE MUSICO CAMPANARVM  
 concentu, necnon Turrium præstantia.

Cap. XII.



X varijs denique Campanarum formis peritissimorum hominum, etiam musicarum arte, ac scitè quidem factis; musicus Campanarum concentus fieri potest, immo solet, sicut diuersis in locis videre licet. Nam, vt Hieronymus Magius in libello de Tintinnabulis, & Hieronymus Cardanus in libris de rerum varietate scriptum reliquerunt, apud Menapios, & Sicambros Populos ad vtramque Rheni, Germaniam, & Galliam diuidentis, partem sitos; necnon apud alias Christianas Nationes Campanæ à musicis non ignaris efformatæ, atque suspensæ in Turribus, ac denique à Musicis pulsatæ, musicum reddunt concentum, Organorum instar.

Antuerpiæ, quæ est Ciuitas Brabantia, ac Belgij totius celeberrimum Emporium, extat augustissimum Templum B. Mariæ semper Virgini sacrum, Turrim ex candido mar-

Mag. c. 27.

Cardan. lib.  
12. c. 58.

Turris admirandæ altitudinis.

Guicc. in Descriptio. Germaniæ inferioris, p. 103. in folio.

Franc. Suuert. in Magium.

Card. lib. 12. de rerum varietate c.

58.

Campanarū Bruxell. harmonia.

more admirandæ altitudinis, hoc est, quadringentorum & viginti pedum Antuerpiensium, teste Guicciardino, habens constructam, in qua, vt ait Franciscus Suuertus, fit musicus Campanarum concentus, adedò insignis, tantaq. arte, & harmonia, vt non Campanas, sed Organum aliquod, exteris omnibus stupentibus, audire videaris. De huius generis Campanarum harmonia Hieronymus Cardanus postquam loquutus est de perpetuo Tubarum sono efficiendo, hunc ait in modum: *Reuocauit hæc narratio memoriam eius, quod Bruxellis in Belgica vidi; Nola plurimæ in circuitu positiæ super Turri, vt fieri solet, vocum musicarum sonis proportionem obtinent: adeunt gnari artis, & tangentes singulas pro notis descriptis, cantilenam pulsant, admiratione potius dignam, quàm iucundam auditu. Nam Nola non retinent vocem, sed cum ictu statim desinit. Idem Louanij, Antuerpiæq. fit. Transferri etiam potest ad urceos, aliaq. vasa. Si dicas, quis usus harum Nolarum? Vt tota Ciuitas audiat musicam; quod commodum non est exiguum. Hucusque Cardanus, qui cum dicat, harmoniam Campanarum Bruxellensium admiratione potius dignam, quàm audi-*

tu iucundam ; Franciscus Suuertus Antuerpiensis de Campanarum Antuerpiæ harmonia ita inquit ; *Utinam Cardanus hodie Campanarum musicam Antuerpiæ audiret , secus iudicaret , nempe & admiratione dignam , & auditu iucundam .* Hæc Suuertus . Georgius autem

Francis. Suuert. in Magium de Tinnabulis.

Braunius in Tomo quinto Ciuitatum Theatri de Turri , & harmonia Campanarum Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis , necnon de primaria eiusdem Campana , deque ipsamet Ecclesia in hanc loquitur verborum formam :

Georg. Braunius to. 5. Ciuitatum pag. 27.

*Primaria Antuerpiensis Ecclesia , Beate Mariæ semper Virgini inscripta , Collegiata , nunc Cathedralis est , amplitudine , magnificentiaq. excellens , multis ornamentorum generibus decorata . Cuius eminentior Turris , Campanis destinata , mirabili structura ex candido marmore affabrè facta , admirandæ altitudinis visitur ; alta pedes quadringentos viginti , unde non tantum sumptuosissima Ciuitatis Aedificia , sed & amœnissimi quaque versus Agri , Horti , & Prata , etiam ultra Scaldim in Flandria conspiciuntur . Sunt in ea triginta tres Campanæ promiscuæ magnitudinis , quæ tam consonantem edunt sonum , & diuersas Ecclesiasticas melodias ita exprimunt , ut ab harmonia musica vix eum distinxeris . Harum Campana-*

Hæc vide in to. 5. Ciuit. pag. 27.

Turris admirandæ altitudinis.

Campanæ 33. in Ecclesia Cathedrali Antuerpiæ .

Harmonia Campanarum musica.

Campanæ pri-  
mæ magni-  
tudo.

*rum prima tanta est, ut nulla in Belgio sit magnitudine vastior: octo enim pedes capit eius altitudo, septem cum semipede hiatus in diametro.* Hucusque Braunius de quattuor Antuerpiensis Ecclesiæ rebus admiratione dignissimis, Turris videlicet altitudine, Campanæ primariæ vastitate, Campanarum multitudine, & musico earumdem concentu, musicam Organorum harmoniam representante. Hæc obiter dicta sint, ut harmoniam Campanarum musicam prosequamur.

Geor. Brau.  
to. 3. Theatri  
Ciuitatum  
pag. 12.

Mechlinia item, vel Machlinia, vulgò Malin vocitata, quæ est Ciuitas Brabantiae præclara, & Brabantiae Meditullium non ineptè dici potest, Louanio, Bruxella, vel Bruxellis, & Antuerpia tot clarissimis Urbibus interclusa, & vndique quattuor milliariibus distans; habet Campanas, quæ Organorum instar, digitis tamen, ac pedibus pulsata, musicos, & varios quidem concentus pro pulsantis arbitrio reddunt. Idem fit Bruxellæ, seu Bruxellis, Hallei, seu Hallæ, ac Traiecti, & alijs in locis illius Regionis.

Geor. Brau.  
to. 1. Theatri  
Ciu. pag. xi.

Leodium, quod est Germaniæ inferioris, quam secundam dicunt, Ciuitas maxima, miræ item magnitudinis habet Campanas,

quæ



quæ musicos diuersi generis concentus mira efficiunt arte. Nam in Cathedrali Ecclesia, Sancto Lamberto dicatâ, octo sunt amplissimæ Campanæ, minusculæ verò duodecim ad Horarum pulsationem accommodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quatuor & viginti requiruntur homines. Maxima enim Campana duabus, & quidem magnis est cincta rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsum pendentibus funibus, quibus item alligati sunt quattuor & viginti alij funiculi. Deinde homines duodecim trahunt vice versa funes ab vna parte, necnon duodecim alij ab altera parte; ita verò, vt, quâdo pars vna deorsum trahit, altera sursum trahat. Qui sanè mos in pulsandis Campanis promusico efficiendo concentu per totum Belgium obseruatur, sicut dictæ Ciuitatis, & Regionis Indigenæ, qui Romæ vitam degunt, omninò affirmant.

In Ecclesia Sancti Pauli eiusdem Ciuitatis Leodij quattuor & viginti Campanæ ad omne genus musices aptissimæ, Organorum instar manibus ac pedibus pulsantur; immo tanta sunt dispositæ arte, vt ex se, vi tamen ponderum, instar Horologij, die nocteq.

Eccles. S. Pauli  
Leodij.

antequam Horæ personent, omnia Horarum præambula, quæ sunt Antiphonæ, cuilibet diei festo congruentes, musicaliter, vt ita dixerim, decantent.

In Sancti Laurentij eiusdem Ciuitatis extant vna & viginti Campanæ, è quibus concentus musicus, & quidem iucundissimus redditur non sine magna audientium voluptate: ijs enim Campanis, & frequenter quidem, diuersæ concinuntur cantiones, ad quas audiendas homines conuolare solent.

Ibidem apud Cruciferos Campanæ complures, Organorum instar pulsatæ, omnibus redduntur gratæ ob musici concentus iucunditatem.

Argentoratum, siue Argentina, Ciuitas vetustissima, ac permagnifica, Argentuaria, & Aurentina etiam dicta, apud Heluetios ad Germaniam superiorem pertinens, propè Rhenum sita; nobile ac ingens quoddam opus habet, cuius adsimile, si altitudo eius, & artificium pensitentur, nec in Germania, nec in Italia, nec in Gallia, neque alijs in locis inuenitur, sumptuosissima nempe Turris illa, quæ Anno Christi Domini 1277. inchoata fuit, atque viginti octo ferè annis vs-

que

Georg. Brau-  
nius to. 1.  
Theatri Ci-  
uitat. pag. 33

Turris admi-  
randæ alti-  
tudinis, ac  
structuræ.

que ad fastigium consummata, quadris autem lapidibus; & perpulchrè figuratis ab ipsis fundamentis ad supremum vsque culmen erecta, vbique aëri, & vento peruia; cuius ascensus quattuor patet cochleis. Vbi verò crassities eius in fastigium incipit acuminari, ibi octo insurgunt cochleæ. Supremus nodus, qui inferius vix modij magnitudinem habere videtur, tantus est, vt capacitas eius quinque, aut sex homines recipiat personatos. Turris autem longitudo, siue altitudo quingentos & septuaginta quattuor geometricos habet pedes. Hæc ex Georgio Braunio in Tomo Theatri Ciuitatum primo.

Homines personati, hoc est, magnæ staturæ.

Braun. to. I. pag. 33.

Admirabili dictæ Turris artificio admiranda Campanarum præstantia musico insignita concentu respondet. In alia intra Ecclesiã Turri extat Horologium mira profectò arte constructum, quod aliquot Anni festiuitates præcipuas, vel Solemnitates Ecclesiasticas repræsentat per Imagines quasdam, quæ referunt personas, & alias res diebus festis repræsentandis congruentes, dum horæ pulsantur. Antea verò quàm horæ pulsantur, duo Angeli Tubas personantes repræsentati musicum reddunt concentum, quo expleto,

Horologiū mira arte constructū.

Angeli Tubas personantes.

Gallus effi-  
ctus modo  
suo cantat.

Horologij  
Auctor.

Nicolaus  
Copernicus  
oculis orba-  
tus.

horæ pulsantur : quibus tandem pulsatis, Gal-  
lus etiam super Horologij verticem effictus  
magno cum strepitu alas concutit, deinde  
statim bis modo suo cantat. Huius generis  
Horologium construxisse fertur Nicolaus  
Copernicus, Vir arte Mathematica peritus,  
qui Anno Domini 1540. floruit, sed tam in-  
signi opere ad finem perducto, à Ciuitatis  
Consulibus, & Primatibus, oculis (vt aiunt)  
orbari iussus fuit, ne vsquam gentium tam  
egregium opus construere posset.

Admirandum, & valde insigne Venetijs  
prope sancti Marci Ecclesiam extat Horolo-  
gium à duobus effictis ex ære Mauris, hoc  
est, obscuri, aut nigerrimi coloris homini-  
bus hinc inde pulsatum. Postea verò quàm  
horæ pulsatae sunt, è duorum ostiolorum vno,  
inter quæ Deiparæ Mariæ semper Virginis  
sculpta infra Horologium Imago sedens re-  
præsenteratur, Angelus tubam personando exit,  
vt alterum ostiolum ingrediatur, à tribus co-  
mitatus Magis, qui dum ante dictam Imagi-  
nem transeunt, sese artificiosè flectunt, &  
inclinato capite, ipsam Imaginem veneran-  
tur, Angelumq. intra ostiolum ingredientem  
sequuntur. Id quod Franciscus Sansouinus

in eiusdem Ciuitatis descriptione satis fusè , ac bellè quidem scriptum reliquit , multis rebus lectu , ac scitu dignis enarratis de dicto Horologio, quod, vt ait idem Sansouinus, Anno Dom. M. C D. X C V I. artificiose fuit constructum .

Musico autem Campanarum Concentu Campanariæ Turres miro artificio constructæ, admirandisq. Horologijs insignitæ, Gallicisq. cantantibus exornatæ, tam in Germania superiori, quàm inferiori passim cernuntur. Quæ sanè loca suis cum rebus ad musicos Campanarum concentus pertinentibus recensere, nimis longum foret. Postquam verò in ipso musico Campanarum concentu describendo mentionem fecimus de Campanis earundem admirandæ altitudinis, ac structuræ Turribus, quæ in Germania superiori, & inferiori, hoc est, Flandria reperiuntur, silentio prætereundum non videtur illud, quod Flavius Blondus in libro primo Romæ instauratæ de Turri Campanaria Basilicæ Sancti Petri Romæ scriptum reliquit hisce verbis :

Blondus lib.  
1. num. 56.

*Leo IV. Campanariam Turrim extruxit, quæ omnium prima in Orbe terrarum fuit. Hæc Blon-*

Leo IV. An.  
Dom. 850.

dus, qui dictā Turrim, omnium primā in Orbe  
 terrarum fuisse dixit, vel ob altitudinis, aut  
 structuræ præstantiam; vel illam omnium pri-  
 mam ratione temporis in Orbe terrarū fuisse  
 intellexit, quasi dixerit nullam Turrim Cam-  
 panariam ante illam ædificatam fuisse ad il-  
 lud vsque tempus, hoc est, ad Annum Do-  
 mini D. CCC. L. Nam Frater Alphonfus  
 Ciacconius Ordinis Prædicatorum in Leone  
 IV. de hac Turri loquitur hunc in modum :

*Anno 850. S. Petri Basilicam Leo Romanus Pon-  
 tifex, nouo ad vsum rei diuinae, eoq. magnifico  
 Campanario exornauit : Et ne huiusmodi in poste-  
 rum obnoxia incursionibus, ac direptionibus esset,  
 Vaticanum ipsum munire, et lapideis muris sepire  
 instituit. Hæc Ciacconius. Platina verò in-  
 quit : Mœnibus Vaticanum cinxit ; Leoninamq.  
 Urbem de suo nomine appellauit ; necnon Turrim,  
 quam adhuc cernimus, in Vaticano apud Sanctum  
 Petrum ædificauit : Et Fores Basilicæ S. Petri ab  
 Agarenis direptas, ex argento restituit. Hæc ex  
 Platina, & Ciacconio colligere mihi visum  
 fuit, vt mentionem in medium afferrem ab  
 ijs factam de dicta Turri, cuius fastigium  
 circa An. Dom. M. CCC. III. in nocte post fe-  
 stum S. Petri diem, ob incuriam Mansionario-*

Alphonfus  
 Ciaccon. in  
 Leone IV.

Plat. in Leo-  
 ne IV.

rum igne deuastatum, Bonifacius VIII. præter alia, & multa quidem beneficia eidem Basilicæ Sancti Petri collata, reparandum curauit; Campanisq. ob dictum incendium in terram collapsis, & confractis, sex nouas, & duplicati quidem ponderis Campanas, vt legitur in Codice manuscripto perantiquo Benefactorum eiusdem Basilicæ, fundendas mandauit. Anno autem Dom. M. CCC. LII. paulo ante Clementis VI. obitum, teste Alphonso Ciacconio, dirus fulsit Cometes, & quadri-  
dium ante ipsius mortem, eadem Turri Campanaria fulmine icta, culmen eius magna ex parte disiectum fuit, & vi ignis Campanæ deuastatæ fuerunt, quarum loco Anno Domini M. CCC. LII. Anno scilicet primo Innocentij VI. nouæ Campanæ factæ sunt, vt in prima Campana, quæ dicitur maior, & in secunda Campana, quæ nuncupatur minor, videre licet. Campanæ autem sunt quinque, quibus incisæ sunt Inscriptiones, vt infra leguntur, quæ quamuis rudem cõtineant Latinitatē, versuumq. regulam, & quantitatem syllabarum interdum non seruent, eas tamen ad rem historicam repræsentandam hoc loco apponere visum fuit.

Bonifacij  
VIII. Benefi-  
cia erga Ba-  
silicam S. Pe-  
tri.

Ciaccon in  
Clem. VI.

Innoc. VI.

I N S C R I P T I O  
 Maioris Campanæ Sancti Petri.

*In nomine Domini, Matris, Petriq. Pauliq.  
 Accipe deuotum, paruum licet, accipe munus,  
 Quod tibi Christe datū Petri, Pauliq. triūphum.*

*Explicat, & nostram petit, populiq. salutem  
 Ipsorum pietate dari, meritisq. refundi.  
 Et Verbum caro factum est.*

*Anno Millesimo trecenteno cum quinquageno  
 Additis, & tribus Septembris mense colatur;  
 Ponderat & millia decies septiesq. librarum.*

I N S C R I P T I O  
 Secundæ Campanæ.

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amē.  
 Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis,  
 Et Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli.  
 Verbum caro factum est.*

*Solue iubente Deo terrarū Petre cathenas, qui facis,  
 Ut pateant celestia regna Beatis.*

*Hæc*



*Hæc Campana cum alia maiori ponderante <sup>m</sup>XVI.  
Post consumptionem ignito fulgure, anno præcedente imminente, fusa est, Anno Domini M.CCC.LIII. mense Iunij, & ponderat hæc M. X. & centena librarum. Amen.*

## I N S C R I P T I O

Tertiæ Campanæ, quæ pulsatur pro Auditoribus Rotæ.

*Nomine Dominico Patris, prolisq. Spirati  
Ordine tertiam Petri primæ succedere noscant  
Per dies paucos quotquot sub nomine dicto  
Sanctam Ecclesiã colunt in agmine trino. Amen.*

## I N S C R I P T I O

Quartæ Campanæ, quæ pulsatur, dum Populus ad sanctam conuocatur Concionem.

*Anno Domini M.CC.LXXXVIII. Ad honorem  
Dei, & Beate Mariæ Virginis, & Sancti  
Thomæ Apostoli Tempore Fratris Ioannis de*

*Leodio ministri, factum fuit hoc opus de legato  
quondam domini Rikardi Domini Papæ Nota-  
rij. Guidottus Pisanus me fecit.*

I N S C R I P T I O

Campanæ parvæ, quæ prior passatur in  
diebus festis.

*Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, &  
Patriæ liberationem.*

*Aue Maria gratia plena Dominus tecum;*

*Benedicta tu in Mulieribus,*

*& benedictus fructus ventris tui.*

Nunc autem, Anno scilicet Domini 1610.

An. Domini  
1610.

Septembri mense, dictæ Campanæ translatae  
fuerunt supra Basilicam Sancti Petri nouam,  
intra vnum ex quattuor minoribus Tholum,  
quem vulgò Cuppulam vocant. Deinde 26.  
die Mensis Octobris eadem Turris Campa-  
naria, culmine olim deiecto, funditus fuit  
euersa cum alijs vetustissimis ædificijs, quæ  
admirandum Basilicæ nouæ prospectum, ac  
situm impediabant. In alijs item Campanis  
ceterarum Basilicarum, & Ecclesiarum tam

Vrbis

Vrbis Romæ, quàm aliorum locorum extant Inscriptiones, hisce, quas vidimus, aliqua ex parte adsimiles.

In primaria Basilicæ Lateranensis Campana, quæ Anno Domini 1389. fusa legitur, inter sacra nomina, & mutila quædam verba, & inexplicabilia, fit mentio de Bonifacio IX: qui anno eodem summus Pontifex creatus fuit. In secunda Campana Honorij III. nomine insignita, & ob vetustatem perfracta, sed Anno Domini 1504. restituta, fit mentio de Ranutio Farnesio, Cardinale, & Pauli III. nepote, necnon Basilicæ Lateranensis Archipresbytero: ita etiam in tertia, & quarta, Artifice dictarum Campanarum commemorato.

In tribus Basilicæ sanctæ Mariæ Maioris Campanis minoribus, quarum duæ Anno Domini 1285. alia verò 1291. fusæ leguntur, extant Inscriptiones ad honorem omnipotentis Dei, ac Deiparæ Mariæ semper Virginis venerationem, iuxta verborum formas iam à nobis enarratas; necnon illa Inscrip-  
tio ad Sanctæ Agathæ corporis caput in sepulchro reperta, & à nobis in capite huiusce Commentarij sexto explicata. Quæ omnia

Basilicæ Lateranensis Campanæ.

Bonifac. IX

Honorius III.

Ranutius Farnesius Card.

Basilicæ S. Mariæ Maioris Campanæ.

Pag. 54. 55. 56. 57.

Cap. 6.

supe-

superius videre licet. In ipsis item Inscriptio-  
nibus leguntur Artificum Campanarum no-  
mina, & eorum, qui pecuniam in eos sumptus  
erogarunt.

Ecclesiæ Ie-  
suitarū Cam-  
pana.

In maiori tandem Ecclesiæ Iesuitarum  
Campana, quæ ex Anglia delata fuit, hæc  
legitur Inscriptio :

*Facta fuit A. Dom. 1400. Die vj. Mēsis Septēbris.*

*Sancta Barbara ora pro nobis .*

Hucusque de Campanarum Inscriptionibus,  
ob mentionem de Campanaria Turri Basili-  
cæ Sancti Petri à Blondo, necnon ab alijs  
tam splendidè factam, digredi aliqua ex par-  
te mihi visum fuit, vt eò, vnde digressi fu-  
mus, reuertamur.

Quamuis autem in Italia, & alijs in locis  
Campanæ in eadem Turri complures dedita  
opera ita concinnatæ, vt iam vidimus, non  
reperiantur, vt artificiosos musicæ concentus  
efficiant; Romæ tamen, & alibi non defunt  
Campanæ, quæ suauem, & amœnum sonum  
reddunt; nonnullæ item, etsi non arte, vel  
non dedita opera ita fuerunt concinnatæ, vt  
artificiosum reddant sonitum; musicum ta-  
men concentum quædam efficere inueniun-  
tur, dum aliquas musicæ consonantias, quam-

dam

dam scilicet symphoniam emittunt. Romæ itaque in Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Montes, & in Ecclesia Sanctæ Katharinæ ad Funarios, aliter de Rosa, necnon alibi extant Campanulæ, quæ musicum quemdam reddunt concentum. Bononiæ autem Campanas musicas olim fuisse Hieronymus Magius in libello de Tintinnabulis testatur hisce verbis: *Vidimus olim Bononia in Aede Episcopali antiqua tria Tintinnabula argentea, ea arte facta, ut cum à Sacerdotibus, musices non ignaris, ad sonum edendum mouerentur, musicos concentus emitterent.* Hucusque Magius de argenteis Bononiæ Campanis, de quarum concentu musico hæc dicta sufficiant, ut scopum nostrum primarium, multiplicem scilicet Campanarum usum in sancta, & vniuersali Dei Ecclesia, tam videlicet apud Viros Laicos, quàm Ecclesiasticos receptum tandem aliquando explicandum aggrediamur, officio pulsandi Campanas prius explicato.

Romæ, S. Maria ad Montes.

S. Kathar. ad Funarios

Bononiæ in Eccl. Episc. Magius c. 17. de Tintinnab.

DE CAMPANARIO. SIVE: DE  
officio pulsandi Campanas.

Cap. XIII.



ANTEAQUAM ad multiplicem Campanarum usum in Ecclesia Sancta Dei receptum accedamus, Nomen, & Officium, illius, qui Campanas pulsare debet, explicare necesse est. De officio pulsandi Campanas, ac de nomine ipsius, qui eas pulsare debet, habetur sermo in libro primo Decretalium Titulo 27. capite primo, in quo post officium Sacristæ Titulo 26. comprehensum, recensentur ea, quæ pertinent ad officium Custodis, de quo ita ibi legitur: *Custos Ecclesie, cui ea, quæ Ecclesie competunt, custodienda committuntur, oportet, ut sui Archidiaconi iussioni in cunctis obediat: in Canonicis horis signa Tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono iubente, ab eo pulsantur: Pallia, vel linteamina Altaris, seu cuncta utensilia Ecclesie indesinenter custodiat. Lampades, & laternas in accendendo, seu extinguendo peruigil existat. Hæc ibi de officio Custodis, qui est Sacristæ mini-*

Lib. I. Decretal. c. I.

Mansionarij  
vel Custodis  
cura,  
quænam sit.

Custodis  
officia plu-  
ra.

Sacristæ Mi-  
nister.

ster,

iter, & à Campana pulsanda, nunc vulgò Campanarius vocitatur; olim verò, in primitiua scilicet Ecclesia, & Custos, & Mansionarius nuncupabatur. Custos ob rerū Ecclesiasticarum custodiam, seu curam; Mansionarius autem à mansione vocitabatur, vt Onuphrio Panuinio placet, hæc verba scribenti: *Mansionarius dictus est Custos, & Conservator Aedium Ecclesiasticarum, Templorum, & Altarium: item familiaris & domesticus, à mansione. Multi ex his erant in Ecclesia Romana, quorum maior, Primus mansionarius vocabatur. Unius horum, (†) eiusdem muneris meminit Divus Gregorius in libris Dialogorum: Hodie in multis Ecclesiis extant, curamq. Psalmodie, & Altarium habent. Hæc Panuinius. De huiusce officij nominibus mentionem facit Sanctus Gregorius Magnus in tertio libro Dialogorum cap. 24. & 25. dum loquitur de S. Theodoro, & S. Abundio Mansionarijs, qui modo Custodes, modò Mansionarij appellantur. Nam in capite 24. cuius Titulus est de Theodoro Mansionario Beati Petri Apostoli Urbis Romæ, Sanctum Petrum ait apparuisse, & loquutum fuisse Theodoro, qui ad lampades concinnandas quadam nocte citius,*

Mansionarius, & Custos idem.

Panu. de interpr. vocū obscurarum Eccles. post Vitas Summorum PP. à Platina conscriptas.

Mansionarii olim erant multi in Ecclesia Romana.

S. Greg. lib. 3. Dialog. c. 24. & 25. To. 3.

S. Theodorus Mansionarius die 26 Decemb. in Martyrolog. Rom.

S. Abundius  
Mansionar.  
& Custos  
die 14. Apr.  
in Martyro.  
Romano.

quàm solebat, surrexerat. In capite autem  
25. loquitur de S. Abundio, Ecclesiæ Sancti  
Petri Mansionario, & Custode nuncupato, ad  
quem à Sancto Petro Puella quædam paraly-  
tica sananda missa fuit, quam statim sanatam  
fuisse, manu ipsius Puellæ à S. Abundio ta-  
cta, Sanctus Gregorius ibidem narrat.

S. Greg. lib.  
3. Dialog. c.  
24. To. 3.

De Theodoro Mansionario Ecclesiæ Bea-  
ti Petri Apostoli Urbis Romæ Sanctus Gre-  
gorius loquitur in hæc verba: *Adhuc supersunt  
aliqui, qui Theodorum, eius Ecclesiæ Custodem no-  
uerunt, cuius narratione innotuit res, quæ ei conti-  
git valde memorabilis. Quòd quadam nocte dum  
citius ad melioranda iuxta ianuam lumina surre-  
xisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positus  
stabat, & lampadis refouebat lumen. Tunc repen-  
te Beatus Petrus Apostolus in stola candida deor-  
sum in pavimento constitit, eiq. dixit: Colliberte  
quare tam citius surrexisti? Quo dicto, ab oculis  
aspicientis euauit. Sed tantus in eum pauor ir-  
ruit, ut tota in illo corporis virtus deficeret, &  
per dies multos de strato suo surgere non valeret.  
Qua in re quid idem Beatus Apostolus seruientibus  
sibi voluit, nisi presentia sui respectus ostendere:  
quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc  
pro mercede retributionis sine intermissione semper*

*vide-*



videret . De Abundio Mansionario item Ecclesie Beati Petri hunc loquitur in modum :  
*Alius hic non ante longa tempora , sicut nostri seniores referunt , custos Ecclesie Abundius dictus est , magnæ humilitatis atque grauitatis Vir , ita omnipotenti Deo fideliter seruiens : Ut idem B. Petrus Apostolus signis ostenderet , quam de illo haberet estimationem . Nam cum quedam Puella paralytica in eius Ecclesia permanens , manibus reperet , & dissolutis renibus corpus per terram traheret : diuq. ab eodem Beato Petro peteret , ut sanari mereretur , nocte quadam ei per visionem astitit , & dixit : Vade ad Abundium Mansionarium , & roga illum , atque ipse tibi salutem restituet . Cumq. illa de tanta visione certa esset , sed , quis esset Abundius , ignoraret , cæpit huc , illucq. per Ecclesie loca se trahere , ut quis esset Abundius inuestigaret . Cui repente ipse factus est obuiam , quem quæsiuit , eiq. dixit : Rogo te pater , indica , quis est Abundius custos ? Cui ille respondit : Ego sum . At illa inquit : Pastor , & nutritor noster Beatus Petrus Apostolus ad te me misit , ut ab infirmitate ista liberare me debeas . Cui ille respondit : Si ab ipso missa es , surge ; manumq. eius tenuit , & eam in statum suum protinus erexit . Sicq. ex illa hora omnes in eius corpore nerui , ac membra*

S. Greg. lib. 3. Dial. c. 25. S. Abund. appellatur Custos, & infra nuncupatur Mansionarius : quia idem sunt Custos, & Mansionarius

Abundius Mansionarius

Abundius Custos.

*solidata sunt, ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent.* De dictis Mansionarijs, hoc est, de Sancto Abundio, & Sancto Theodoro fit mentio in Martyrologio Romano: De illo in 14. Aprilis die; de hoc autem in die 26. Decembris.

Nomen igitur tam Custodis, quam Mansionarij ante mille, atque amplius annos pro Campanario sumebatur. Quod etiam nunc Romæ viget, dum Mansionarij, præfens etiã in tempus pulsant Campanas, nec non pulsandas curant, & præsertim in Basilica Sancti Petri, vbi S. Theodorus, & S. Abundius tali officio functi iam fuerunt, quos ordinibus sacris insignitos, & superpelliceo indutos fuisse omnino censendum est, sicut hodie Mansionarij esse solent, qui Presbyteratus ordine, vel ordinibus saltem minoribus decorantur anteaquam ad officium Custodis, aut Mansionarij assumantur. Itaque Mansionarij, ad quos pertinet etiam cura pulsandi Campanas, tales esse debent; non enim ab homine quopiam indifferenter pulsandæ sunt, quippe quæ aqua benedicta lauantur, & Oleo sancto infirmorum, sanctoq. Chrismate vnguntur, multiplici signo Crucis inter vngen-

dum

S. Abundius.  
S. Theodorus.

Mansionarii  
officiur.

Benedictio  
Campanarũ

dum adhibito ; necnon thymiamate, ac myrrha, vel thure saltem suffumigantur, atque hunc in modum Orationibus, Psalmis, & Antiphonis inter benedicendum recitatis, Campanæ diuino cultui dedicatæ consecrantur, addita postremò Euangelica lectione, vti suo iam loco, & plenius quidem, dictum fuit. Cum itaque res ita sese habeat, Campanæ quatenus consecratæ, ac diuino cultui dicatæ, non à Laicis pulsandæ forent, sed ab ijs, qui sacris Ordinibus, ac saltem minoribus decorati fuerunt, vel Deo saltem dicati reperiuntur, cuiusmodi etiam sunt Clerici nondum sacris Ordinibus vllis initiati, sed habitu laicali deposito, clericali tantum habitu, ac prima tonsura insigniti, & superpelliceo induti, de foro Ecclesiæ facti sunt, vt legitur in Pontificali Romano, & in ipsa clericali ordinatione ab Episcopo id ita esse aperte declaratur. Huius generis item sunt Religiosi, ac Religiosæ Feminae ; Illi laicali habitu deposito, & Ecclesiastico induti, & capitis corona, quam tonsuram, & clericam vulgò appellant ; Hæ autem velatæ, aut sacratæ, Monialesq. nuncupatæ : Conuersi verò ( vt aiunt ) & Conuersæ non item rebus hisce

Cap. 5.

Cāpanarius  
Ordinibus  
saltem mi-  
noribus, vel  
prima ton-  
sura decora-  
tus esse de-  
bet.

Ponti. Rom.  
Par. 1.

Ostiarium of-  
ficium.

Pontificale  
Romanum.  
Par. I.

carentes. Quamuis verò Clerici, necnon Religiosi, ac Religiosæ Feminae primo loco memorati, Campanas pulsare queant, hoc tamen officium etiam ad Ostiarium pertinere censetur, qui scilicet Ostiarius est vnus ex illis quattuor, qui ad Ordines minores assumuntur. Quòd autem munus pulsandi Campanas etiam pertineat ad Ostiarium, ex eo constat, quòd, vt legitur in Pontificali Romano, ij, qui ad Ordinem Ostiariatus ab Episcopo assumuntur, siue ordinantur, Clauibus Ecclesiæ sibi ab Episcopo datis, Archidiaconus, vel alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos superpelliceo indutos ad Ostium Ecclesiæ, & facit illos claudere, & aperire; tradit etiam eis funem Campanarum, faciens eos pulsare Campanas, deinde illos reducit ad Pontificem, benedictionem Domini ab eodem Episcopo accepturos. Hæc ex Romano Pontificali de Ostiarium officio, quod est etiam pulsare Campanas. Quamuis enim Clerici, Beneficiati, & Canonici; dum alicuius Basilicæ, vel Ecclesiæ Collegio, quod Capitulum vocitatur, adscribuntur, vel, vt ita dicam, incorporantur, Tintinnabulum, seu Campanulam pulsare

soleant; hoc tamen tantummodo in signum iurisdictionis, & possessionis, vel incorporationis ab ijs fieri solet; ab Ostiarijs autem pulsatur Campanula ratione suscepti Ordinis, qui est inter quattuor minores primus. Cum itaque res ita sese habeat, Officium pulsandi Campanas nonnisi ab illis, qui vel minoribus Ordinibus, vel prima saltem tonsura in sancta Dei Ecclesia sunt insigniti, exerceri iure potest, ac debet; immo propter Campanæ significatum huius generis officium à Presbytero subterfugiendum non esse ait Amalarius Fortunatus, Episcopus Treuerensis in tertio de Ecclesiasticis officijs libro, in cuius initio Campanas Ecclesiasticas originem à Tubis Veteris Testamenti traxisse, illasq. Ora Prædicatorum Noui Testamenti significare demonstrat. Quæ sanè omnia, etsi superius tetigimus, & quidem summam, vt Campanarum originem, necnon similitudinem, ac dissimilitudinem inter Tubas, & Campanas ostenderemus; hoc tamen loco Amalarij verba recitanda videntur, quibus Campanarium officium ob eandem Campanarum significatum à Presbytero subterfugiendum non esse ostendit

Campana à Presbytero pulsanda.

Amal. Fort. lib. 3. c.1.

Cap. 8. 9. & 10.

Amalar. vbi supra.

Hier. in Ioel  
2. To. 5.

Pfal. 75.

Lingua Cā  
panæ.

Guill. Du-  
randus lib.  
1. Rationa-  
lis c. 4. n. 5.

in hanc verborum formam : *Prædicationem* ,  
( inquit ) *quam significabat clangor Tubarum* ,  
*Hieronymo exponente, significat Signum* , ( hoc est,  
Campana ) *quod in nostra Ecclesia reboat. Si-  
gnum nostrum ( Campana scilicet nostra ) est ex  
metallo æris . Aes est metallum durabile , & sono-  
rum . Habet idem Signum ( hoc est Campana )  
interius plectrum ferreum, quo tunditur, ut audia-  
tur . Oraq. Prædicatorum significat Novi Testa-  
menti, quæ plus durant, quàm Tubæ Veteris Testa-  
menti , atque altius resonant . Ora Prædicatorum  
nostrorum durabunt usque in finem ; & auditur  
longè sonus eorum usque in fines terræ . Tempore  
Iudæorum notus erat tantum in Iudæa : At nunc  
in omni terra . Vas metalli æris ora significat , ut  
diximus , Prædicatorum ; Ferrum interius , Lin-  
guam eorum . Et infra : Campanæ funis, qui ha-  
bet initium à ligno ( cui scilicet alligatur ) Scriptu-  
ram sacram significat Novi Testamenti, descenden-  
tem à Ligno Dominicæ Crucis . Quod tamen lignū  
à superioribus continetur , quia Dominica Crux à  
Prophetis , & antiquis Patribus continetur : qui  
funis usque ad manus Sacerdotis pertransit: etenim  
Scriptura ad opera Sacerdotum debet transire .  
Hæc Amalarius , qui post multa alia , quæ  
breuitatis gratia sunt silentio prætereunda ,*

hor-

hortatur Presbyterum, ne Campanam pulsare despiciat, dum hisce loquitur verbis: *Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in isto imitator sit filiorum Aaron, sicut et in multis ceteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere à mouendis Signis (hoc est, Campanis) cum ex iisdem possit prædicare Populo.* Hæc Amalarius de præstantia, & significatu Campanarij, & officio pulsandi Campanas.

Campana à Presbytero pulsanda.

Istuc ferè ipsum scriptum reliquit Rupertus Abbas Tuitiensis, in primo de diuinis officijs libro hisce verbis: *Hæc igitur Ecclesiæ Signa (hoc est Campanæ) atque illæ Tuba legales, unum atque idem significant, scilicet sanctos Ecclesiæ Prædicatores.* Hæc Rupertus, qui post alia multa ad capitis calcem, sermonem de Campanis, Prædicatores significantibus, ita concludit: *Trinum itaque solemnem diei classicum, idest, Matutinum, Vespertinum, & Quod ad Missæ pulsatur initium, sic imitetur Euangelicus Prædicatorum Chorus, ut semper prædicet Lamentationes præsentis Vitæ, Carmen futurae, & Væh Gehennæ.* Hæc Rupertus de Campanis, quæ significant Prædicatores.

Ruper. Abb. lib. 1. c. 16. To. 4.

Cap. 16.

Campanæ itaque, ut omnia hucusque de officio pulsandi eas paucissimis repetam ver-

O bis,

Campana à Clericis prima saltem, confura insignitis pulsari debet.

Steph. Dur. lib. 1. c. 22.

Steph. Dur. lib. 1. c. 31.

Conc. Coloniens. 1. c. 31. To. 5.

bis, quatenus consecrata, ac Diuino cultui dicata, necnon quatenus Prædicatores Verbi Dei significant, non à Laicis pulsari deberent, sed à Presbyteris ( Amalario consulente, atque hortatore ) sicut ab alijs Ecclesiasticis Viris, vel ab Ostiarijs, aut Ianitoribus Ecclesiæ superpellicei indutis, aut ab ijs, qui minoribus ordinibus, vel prima saltem confura, vti iam diximus, sunt insigniti; necnō à Religiosis Viris iuxta qualitates superius assignatas. Propterea Ioannes Stephanus Durantus Vir doctissimus, & insignis, in primo de Ritibus Ecclesiæ catholicæ libro scribit, congruum esse, vt Campanarij in Campanis pulsandis existant superpelliceis induti. Ipse namque Durantus, rebus omnibus ad benedictionem, vel consecrationem Campanarum pertinentibus, necnon origine, vsibus, & effectibus earumdem diligenter pensitatis, multa post tandem in trigesimo primo eiusdem Libri capite de Campanis conscripta, ita paucis inquit verbis: *Eos verò, qui Campanas pulsant, congruit superpelliceis indui.* Hanc autem congruentiam ex Concilio item Coloniensi desumptam esse innuit. Verba Concilij sunt hæc: *Campanarios cereis ac-*



*cendendis, alijsq. in Choro ministracionibus intentos, deceret superpelliceis indui. Hæc ibi de Campanarijs. Quamuis autem in Concilio Coloniensi primo indumentum superpellicei ad officij Campanarij decentiam referatur; in secundo tamen Concilio Coloniensi, vt Cāpanarius in suis officijs exequendis vtatur superpelliceo, decernitur in hæc verba: Statuimus igitur, ne liceat Campanarijs, seu Matricularijs nutrire barbam, aut in veste laica in Ecclesijs circumcursitare, sed ministeria sua in superpelliceis exhibeant.* Concilium hoc in loco indefinite loquitur de ministerijs Campanarij, ergo de omnibus ministerijs ad officium Cāpanarij pertinentibus, Decretum illud intelligi posse videtur. Nam Propositio indefinita sine signo vniuersali pro vniuersali sumitur, teste Aristotele in primo Priorum libro capite primo. Itaque si ministeria Campanarij indefinite sumpta, cum superpelliceo exercenda sunt, ergo multò magis Campanarum pulsatio; cum Campanarius, cuius munus est pulsare Campanas, à Campana ipsa nomen sibi fortiatur. Immò si omnia, quæ de Campanis hucusque à nobis dicta sunt, rectè perpendantur, munus pulsandi Campanas om-

Conc. Col. 2  
c. 13. To. 5.

Propositio  
indefinita su-  
mitur pro  
vniuersali.  
Arist. lib. 1.  
Priorum c. 1

Campana, nullo modo à Laicis, & ab Ecclesiasticis non sine superpelliceo pulsari debet.

nia alia ministeria Campanarum antecellere, dicas necesse est. Quæ profectò cum ita sese habeant, Campanæ nullo modo à Laicis, nec sine superpelliceo ab Ecclesiasticis Viris pulsari debent. Hæc sunt, quæ de Campanario, siue de officio pulsandi Campanas mihi dicenda videbantur. Nunc reliquum est, ut multiplicem Campanarum usum in sancta, & vniuersali Dei Ecclesia receptum aggrediamur.

*DE . MULTIPlici . CAMPANARUM  
usu in sancta & vniuersali Dei Ecclesia  
recepto . Cap. XIV .*



**M**ULTIPLEX profectò est Campanarum usus in sancta, & vniuersali Dei Ecclesia receptus, qui maiori ex parte, & quidem satis bellè, præsertim verò Ecclesiasticus, duobus versibus comprehensus est à quopiam homine conscriptus, per prosopopœiam; idest, per personam fictam, figuram scilicet illam, qua rebus inanimatis personam, & orationem tribuere interdum solemus, ut factum esse constat in

Prosopopœia.

duo-

duobus Versibus infra positis , in quibus Campana ipsa de se loquens inducitur in hæc verba :

*Laudo Deum verum, Plebē voco, Congrego Clerū,  
Defunctos ploro, Nimbū fugo, Festaq. honoro.*

Duobus hisce Versibus ( quos ob rhythmicas quasdam syllabarum desinētias à Leone fortasse quodam , huius generis Versuum Inuentore, Leoninos appellant) varij Campanarum vsus in sancta Dei Ecclesia recepti , comprehensi sunt ; quorum primus ad veri , & omnipotentis Dei laudem insinuandam , & honorem indicandum pertinet. Ad hanc rem præstandam inter diuina interdum officia recitanda , & inter Missarum solemnias , præsertim verò in sacrosancto Missæ sacrificio Cāpanæ pulsantur . Istuc ipsum faciendum insinuatur , dum Populus ad Ecclesiam per Cāpanarum sonitum conuocatur , & Clerus eodem inuitatus congregatur ; Pulsantur item Campanæ dum Ecclesiasticæ festiuitates , & Sanctorum solemnitates celebrantur, Defunctiq. ad Ecclesiam sunt deferendi , ac denique dum ad nimbos , & grandines , aut procellas fugandas pulsari solent ; Quæ sanè omnia duobus illis Versibus comprehensa, sin-

Dicti versus Leonini mēdosè recitātur à Glosatore in lib. 1. Extravag. de Offi. Cult. c. 1.

gulatim, & quidem plenius explicanda esse censemus, ceteris Campanarum vsibus ab Ecclesia receptis, necnon rebus alijs, ad quemlibet Campanæ pulsandæ vsus pertinentibus, pensitatis, & explicatis.

*DE . USU . PULSANDI . CAMPANAS*  
*pro Clero congregando, Populoq. conuocando*  
*ad diuina officia celebranda, & ad*  
*Conciones audiendas.*

*Cap. XV.*

Cap. 8.



Num. 10.

ICVT in Veteri Testamento, uti iam in capite de Origine Campanarum, & de similitudine, ac dissimilitudine inter Tubas, & Campanas diffusè diximus, ad Tubarum clangorem ex Diuino Præcepto, ut legitur in capite Numerorum decimo, multa fiebant; ita nunc ad Campanarum sonitum in Nouo Testamento multa, illisq. modo suo similia, celebrantur; singulatim hoc loco explicanda. Qua in re præstanda, Ritus cuiusque Auctorem, siue Inuentorem in medium afferre conabimur.

*De*

*De Campanis ad officia diuina pulsandis .*

**Q**uisnam Ritus pulsandi Campanas pro Clero in primis, deinde pro Populo ad diuina Officia, necnon ad Conciones, & ad Missarum sacrificia conuocando, instituerit, non satis constat. Nam, vt in primo huiusce nostri Commentarij diximus capite, in quo de Inuentione, atque antiquitate Campanarum verba fecimus, & diffusè quidem, hunc Ritus à Sabiniano Pontifice Maximo ante mille circiter annos institutum fuisse scribunt Polydorus Virgilius in libro sexto de Inuentoribus rerum, Platina in Sabiniano, Franciscus Petrarcha, & alij, præsertim verò Onuphrius Panuinius in Epitome Summorum Pontificum dicens: *Hic Papa Campanarum vsum inuenit, iussitq. vt ad Horas canonicas, & ad Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* Hæc Panuinius, cui profectò sententiæ, aut opinioni aduersantur sancti Hieronymi verba, quæ quamuis in primo capite ad antiquum Campanæ pulsandæ in sancta Dei Ecclesia vsum à nobis fuerint recitata, hoc tamen loco tandem repetenda cense-

Cap. 1.

Sabinian. A.  
Dom. 606.Polyd. Virg.  
lib. 6. c. 12.Onuphrius  
Panuin. in  
Sabiniano.

mus

mus, vt probabilius ostendamus huiusce Ritus Institutorem.

Quamuis itaque huius generis Ritus inuentum Sabiniano ab ijs, quos nuper recensuimus, tribuatur; verba tamen Sancti Hieronymi, quem ante Sabinianum ducentos circiter annos floruisse constat, huic opinioni omnino refragantur. Hieronymus enim in Regula Monacharum, dum loquitur de Matutino, & de modo recitandi officium diuinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hisce verbis: *Ad matutinas excubias, media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiatur Campanilis sonus.* Hæc sanctus Hieronymus, qui in capite trigesimo nono eiusdem Regulæ, postquam verba fecit de Horis Vespertinis, De sonitu Campanulæ, Sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum: *Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam, iuxta exigentiam temporis ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet: ubi vel de Sanctorum, vel de alijs mirabilibus Dei lectio deuota dicatur.* Hucusque sanctus Hieronymus. Ex his profectò locis vsus Campanæ pro Sanctimonialibus ad Ecclesiam conuocandis tempore

S. Hiero. A.  
Dom. 422.  
Sabinian.  
606.

S. Hieron. in  
Regula Monach.  
c. 33.  
To. 9. p. 627.

S. Hieron. c.  
39. p. 632.

sancti

sancti Hieronymi ante Sabiniani tempora fuisse aperte constat. Propterea censendum videtur, sententiam probabiliorem esse illorum, qui Campanæ inuentum ( quantum ad Ecclesiasticum usum ) Paulino Sancto, & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim, uti iam diximus, Sanctorum Augustini, & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ inuicem scriptæ id ita esse testantur; immo, ut ait Tritthemius, S. Augustini Discipulus fuit. Adde etiam, quòd propterea Campanæ à Nola, ex præcipuis Campaniæ Urbibus vna, cuius Episcopus fuit Sanctus Paulinus, Nolæ iam dictæ; & à Campania ipsa Italiæ Prouincia, Campanæ item ab omnibus præfens in tempus vocitantur: Nam Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus Campanæ usum primus in suam Ecclesiam inuexisse creditur, atque id ita esse vulgata, seu communis docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ usus fuerit ignotus, vel potius in Ecclesijs non receptus. Etsi ergo huius generis Ritus Paulino Sancto, & Episcopo Nolano iuxta opinionem magis vulgatam adscribitur; fieri tamen potest, ut Sabiniani tempore dictus Ritus, quatenus non vbique

S. Paulinus inuentor vsus Campanæ in Ecclesijs, & S. Augustini Discipulus, Ex Tritthemio in Paulino An. Do. 420.

Sabiniani reuocatio, vel institutio pulsandi Campanas.

apud Ecclesiasticos Viros receptus, vel quatenus fortasse intermissus, ab ipso Sabiniano, vel institutus, vel in vsum reuocatus ad Missarum sacrificia indicanda, & ad horas in Ecclesijs diuini officij gratia distinguendas intelligatur. Diuina officia distinctionibus horarum comprehenduntur, quæ sunt Officium nocturnum, seu Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, & Nona. Vesperæ item & Completorium. Hæc autem ex Ioannis Beleth meditatione iuxta septem hominis ætates, Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Iuuentutem, Virilitatem, Senectutem, ac Decrepitatem instituta videntur, vt hoc Symbolo Creator omnipotens in omnibus, vel pro omnibus ætatibus à nobis laudetur, & oretur. Vel, vt reor, ad imitationem Prophetæ Dauid in Psalmo dicentis: *Septies in diem laudem dixi tibi*: quamuis enim particula illa, *Septies*, vniuersitatem, & perennitatem significet, sicut Doctores dictam voculam interpretantur eodem in loco Psalmi; Nicolaus tamen Lyranus dictum illud ad septem Horas canonicas referri posse ait. Adde etiam, quòd particula, *Septies*, frequentiam quoque significat iuxta dictum Pro-

uer-

Io. Beleth c.  
28. ad calcem  
Rationalis  
diuinorum  
officiorum  
Durandi.

Pf. 118. Basil.  
& Aug. 24.  
Prou.



uerbiorum illud : *Septies in die cadet iustus*, & *resurget* : Iustus enim, vt ait Glossa, cadere, idest peccare frequenter memoratur quantum ad peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur. Nam per ignorantiam, vel obliuionem, vel surreptionem, per necessitatem, vel fragilitatem carnis singulis diebus, &c. frequenter peccamus; Iustus tamen resurgit, quia iustus est, nec eius iustitiæ humana præiudicat fragilitas. Huc etiam spectare videntur septem illæ horæ Canonice, ad quas recitandas Clerus conuocatur, & Populus ad easdem, atque ad Concionem audiendas per Campanarum pulsum inuitatur.

Prou. 24.

DE . CAMPANIS . IN . SACRIFICIO  
Missæ pulsandis . Cap. XVI.

**D**E Campanis in Sacrosancta Eucharistia conficienda ex Gregorij Noni Decreto pulsandis in Chronicorum Conradi Abbatis Vrspergësis Additionibus, quæ Paralipomena inscribuntur, in hæc legitur verba : *Eo tempore* (Anno scilicet

Chron. Conrad &amp; Paralip. innominati.

Gregor. IX. Decr.

Salve Regi-  
na.

cet Domini M.CC.XXXVIII.) Pontifex Gregorius Nonus Salve Regina, certis diuinae rei horis addi, Campanasq. ad Eucharistiae confectionem, & laudes Virginis Dei Genitricis pulsari decreuit, rem scilicet Ecclesiasticam reformaturus.

Hæc ibi. Quæ sanè omnia ad opem diuinam implorandam, & intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis inuocandam, facta esse censendum videtur, dum scilicet Fridericus II. Imperator, etiam vice tertia excommunicatus, & Imperio priuatus, Romanum ac Summum Pontificem, & Ecclesiam mirum in modum vexabat, necnon Tartari Christianitatem infestabant, Christianas depulando prouincias, vt legitur dicto in loco nuper citato, & in Platina de Summorum Pontificum vitis. In Sacrificio autem Missæ; dum scilicet Sacrosancta conficitur Eucharistia, & eleuatur, Campanæ pulsantur ad honorem ac venerationem tanti Sacrificij, necnon ad excitandas hominum mentes, ita verò, vt homines item domi commorantes ad Campanarum sonitum genibus flexis Christum Dominum in Spiritu adorent, vt ex Concilio Claromontano, Conrado Urspergensis Abbate, Petro Messia, Arnaldo

Vide Plat. in  
Greg. IX.

Concil. Cla-  
romont.  
Abbas in  
Chron.  
Petr. Mess.  
p. 4. c. 9.

Vuion

Vuion, Monacho Benedictino, & ex alijs colligitur.

Arnol. p. 2. de Ligno vitæ lib. 5. Emble. 3. in Urbano 2.

DE . CAMPANA . IN . VESPERE . VEL  
in Sero, in Mane, & in Meridie  
pulsari consueta. Cap. XVII.



**Q**VISNAM Trinum Campanæ pulsum, aut sonitum in tribus illis temporibus, Vespere scilicet, aut in Sero, Mane item, ac Meridie, necnon quibusnam de causis dictum Ritum instituerit, variæ sunt opiniones, ac sententiæ, quas omnes, & quidem singulatim explicare conabimur. Antea verò quàm Institutorum nomina, & causas institutionum explicemus, nonnulla dicenda sunt, & quidem satis congrua illis causis, ob quas huius generis Ritus fuit institutus.

Tria illa tempora nuper commemorata, & in Psalmi versiculo comprehensa hisce verbis: *Vespere, & Mane, & Meridie narra-*

Psal 54.

*bo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam:* non carent mysterijs, in quibus meditandis, ac venerandis in illo triplici Campanæ pulsu,

Aue Maria.

aut

aut fonitu ad clementissimi, & omnipotentis Dei misericordiam, & opem implorandam, Deipara Maria semper Virgine pro nobis intercedente, Angelica Salutatio tribus vicibus recitari solet, & genibus quidem flexis, Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes diebus exceptis, atque item Dominicis, & Vespere Sabbati totius anni diebus, quæ Resurrectionis diem repræsentant: in hisce namque diebus omnibus Angelica Salutatio absque genuflexione recitatur.

Angelica Salutatio quâdo recitari debeat cum genuflexione.

Concil. Nic. 1. To. 1. Et de Consecr. Dist. 3. c. 10. Quoniam.

Id quod in Concilio primo Nicæno sancitum fuit in hanc verborum formam: *Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in uniuersis locis consonanter obseruentur, placuit sancto Concilio à Paschate usque ad Octauas Pentecostes, stantes Domino vota persoluere, vel Deo orationes effundere.* Hæc ex primi Concilij Nicæni Canone vigesimo iuxta Editionem primam, & versionem Gentiani Herueti in tertia item Decreti Parte, Titulo *De Consecratione*, descriptam. Burchardus vero Ecclesiæ Vuormaciensis Episcopus, & Iuo Carnothen-sis etiam Episcopus in Pannormia ex Aurelianensi Concilio istuc ipsum fusius explica-

Burch. lib. 13. Decretorum c. 3. Iuo lib. 2. c. 183.

runt

runt in hæc verba : *Ut Presbyteri Plebibus annuncient, quòd in Quadragesima, & in Ieiunio quattuor temporum tantummodo ad Missarum solemnia genua flectere debeant. In Dominicis è contra diebus, & in ceteris festis, à Vespera usque in Vesperam non flectant genua, sed stantes incuruati orent: Nec quisquam uno genu solo tenus impresso orare præsumat, sicut Iudæi irridentes Dominum in Passione eius fecisse leguntur, sed utraque genua terra figat. Ait enim Apostolus: Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Hæc de genuflexione in orando.

Per tria igitur illa tempora, in Versiculo Psalmi comprehensa, Mysteria Passionis, & Mortis, quam Christus Dominus pro nobis perpeffus est; eiusdem Mysteria Resurrectionis, & Ascensionis in Cœlum nobis insinuantur, sicut Sanctus Pater Augustinus, & sanctus Hieronymus in ipso Psalmi Versiculo explicando scriptum reliquerunt. Nam sanctus Pater Augustinus post multas meditationes, & considerationes, in illis tribus temporibus explicandis præstitas, ita inquit: *Vespere Dominus in Cruce, Mane in Resurrectione, Meridie in Ascensione; & sanctus Hieronymus: Vespere, cum Passionem suscepit; Ma-*

Ephes. 3.

S. Aug. To. 8.  
in Psal. 54.S. Hiero. To.  
7. in Psa. 54.

ne, cum Resurrexit; Meridie, cum, omni claritate virtutis suæ adimpleta, Cælos ascendit, & sedet ad dexteram Patris. Ter itaque ad trinum Campanæ sonitum in tribus illis temporibus enarratis Angelica Salutatio ad tria hæc mysteria repræsentanda recitatur, tribus tamen præuijs Antiphonis, quarum prima prænunciatam ab Angelo Christi Domini Conceptionem in Vtero Beatæ Mariæ semper Virginis faciendam complectitur; Altera verò eiusdem Virginis Assensum Deo commissum; Tertia denique Filium Dei in eiusdem Virginis Vtero de Spiritu sancto conceptum, incarnatum, & natum: Sed post quamlibet Antiphonam Angelica salutatio recitatur.

*Antiphona prima.*

*Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.*

*Aue Maria gratia plena, &c.*

*Antiphona secunda.*

*Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

*Aue Maria gratia plena, &c.*

*Antiphona Tertia .*

*Et Verbum caro factum est , & habitavit  
in nobis .*

*Aue Maria gratia plena , & c .*

Postquàm tertia vice Salutatio Angelica fuerit recitata , dicitur oratio , quæ Annunciationem Angelicam , Beatæ Mariæ semper Virgini præstitam ; Conceptionem item , Incarnationem , Passionem , Mortem , ac Resurrectionem Filij Dei , nostramq. precationem comprehendit in hanc verborum formam :

**G**ratiam tuam , quæsumus , Domine , mentibus nostris infunde ; ut qui , Angelo nunciante , Christi Filij tui Incarnationem cognouimus , per Passionem eius , & Crucem , ad Resurrectionis gloriam perducamur . Per eundem Christum Dominum nostrum . Amen .

*Fidelium Anima per misericordiam Dei requiescant  
in pace . Amen .*

*Tempore Paschali .*

Non desunt autem , Ecclesiastici præsertim Viri , qui tempore Paschatis Antiphona

Q nam

nam, tempore Paschali in Ecclesia recitari consuetam, sine genuflexione dicant iuxta formam infra præscriptam :

*Antiphona.*

*Regina Celi letare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia; Resurrexit, sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.*

*Ÿ. Gaude, & letare Virgo Maria, Alleluia.*

*Rx. Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.*

*Oremus.*

**D***Eus, qui per Resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi Familiam tuam lætificare dignatus es; præsta, quaesumus, ut per eius Genitricem Virginem Mariam, perpetuè capiamus gaudia vite. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Post dictam Orationem ad omnem Dæmonum machinationem, versutiam, ac nequitiam à nobis effugandam, ter Signo sanctæ Crucis frons muniri solet. Multis item in locis post sonitum Salutationis Angelicæ præsertim verò in Vrbe Roma pulsatur in Vespere, siue in Sero Campanula, qua ex-



citamur, & inuitamur ad orandum pro Defunctis. Multi autem ex laicis hominibus, ex ijs præcipuè rei litterariæ ignaris, ad Signum Salutationis Angelicæ pulsatum, oratione cum Antiphonis prætermiffa, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam tam pro viuis, quàm pro Defunctis recitare solent. Ceteri verò pro Defunctis recitare solent Psalmum, *De profundis*, omnibus ferè notum. Hæc sunt, quæ de huius generis Ritu mihi dicenda videbantur; nunc reliquum est, vt eiusdem Ritus Inuentores, aut Institutores, & causas ostendamus.

*DE CAUSIS PULSANDI  
Campanam in Vespere, in Mane, & in  
Meridie, Deq. huiusce Ritus Institu-  
toribus. Cap. XVIII.*

**D**E Institutoribus, & causis illius Ritus pulsandi Campanas in tribus diei temporibus, iam non semel commemoratis, diuersi diuersa scripserunt. Frater Alphonfus Ciacconius in Vita Urbani II. qui floruit circa Annum Domini M. X C. ad

Fr. Alphon.  
Ciaccon. in  
Vita Urb.  
II. Ann. Do.  
1090.

hunc Ritum per preces Beatæ Mariæ semper Virginis alludere videtur, dum suboscure ita inquit: *Urbanus Preces Beatæ Virginis, & Prefationem eius in Ecclesia Latina cantari instituit, Prefationibus novem antiquis adiungens decimam, (Et Te in veneratione Beatæ Virginis collaudare.) Sabbatoq; de ea commemorationem fieri præcepit.* Hæc Ciacconius, qui per Preces, Angelicam Salutationem intelligere videtur. Id quod Arnoldus Vuion, Monachus Benedictinus in Libro, qui Lignum Vitæ inscribitur, expressè dicit in hæc verba: *Institutionem pulsus Campanæ, qui fit Vespere, Mane, & Meridie, vocaturq; Ave Maria, ex Schola quoque Benedictina manasse, indicat Campanula illa, quæ sub brachio dextro eiusdem Pontificis visitur. Considerans namque Urbanus actiones omnes nostras, nisi orationis scuto fortissimo muniantur, eadem facilitate disperdi, & labi, qua excogitate videntur; sciensq; impossibile esse multorum preces à Deo non exaudiri, ut quod semel ex Divina voluntate instituerat, tandem etiam ea ipsa iuvante, perficeretur, in eodem Concilio Claromontano, ut à primo die, quo Exercitus Christianus Terram sanctam recuperaturus discederet, Vespere, & Mane in omnibus Christia-*

Arnoldus  
Vuion lib. 5  
Embl. 3. c.  
20. p. 2. in  
lib. qui Li-  
gnum vitæ  
inscribitur,  
in quo agi-  
tur de S. Be-  
nedicti Or-  
dine.

Concil. Cla-  
romont.

ni Orbis Ecclesijs, tam Cathedralibus, quàm Abbatialibus utriusque sexus, Populus Christianus trino Campanæ pulsus ad orationem excitaretur, statuit tum, ut Deus optimus Maximus Exercitui Christiano suo signo signato vires contra inimicorum suorum potentiam sua pietate conferre dignaretur, tum etiam eorum misereri, qui in opere tam pio perficiendo animas suas pro defensione Fidei, omniaque sua tradentes, ex hac vita migraverant. Qui mos inuiolabiliter seruatus est per annos ferè C. XXXIV. usque ad tempora Gregorij Papæ Noni Anagnini ex Comitibus Monachi Camaldulensis. Hic videns huiusmodi consuetudinem laudabilem in obliuionem à Fidelibus tradi, eo quòd scilicet Institutionis eius causa, Hierosolymis ipsis à Sultano Aegyptio iterum recuperatis, Christianisq. fugatis, iam cessasse videretur; eandem in laudem Diuæ Virginis, adiuncto et Meridiano pulsus, transmoutauit. Hæc ad verbum Arnoldus, qui dum illa tria meditatatur tempora, in quibus Campana pro Angelica Salutatione recitanda pulsari solet, hunc Ritum institutum fuisse ait ob tria Mysteria, quibus Beata Maria semper Virgo, ac Dei Mater à Christi Fidelibus honoratur; Primo scilicet ob Mysterium gaudiorum, quæ in Christi Incarna-

Gregor. IX.  
A. Do. 1227.

Arnold. vbi  
supra.

tione cœperunt, & hæc indicat pulsus Campanæ Vespertinus; Secundo ob mysterium dolorum, qui summi fuerunt in Dominica Passione; & hos memorat pulsus Meridianus; Tertio denique ob mysterium gloriosorum, quæ in Christi Domini Resurrectione initium sumpserunt, & hæc pulsus excitat Matutinus. Hæc item omnia ex Arnolde recitat Ferreolus Locrius in libro, qui Maria Augusta, Virgo Deipara, inscribitur. Non desunt autem qui etiam contra Arnoldum, & Ferreolum, sententia mutata, pulsus Campanæ Meridianum non à Gregorio Nono, sed à Ludouico XI. Gallorum Rege inuentum fuisse dicant, quorum è numero est Robertus Gaguinus in Historijs Francorum, siue Annalibus, in quibus ita inquit: *Introduc-ta quoque est (Auctore Ludouico) consuetudo Campanam hora meridiana (ut in noctis crepusculo solet) pulsandi: quo tempore Populus, vno poplite humi deflexo, Angelicam Diuæ Mariæ Salutationem, obtinende publicæ pacis gratia, religiosè exhibet. Qui mos hæctenus diligenter à plerisque seruatur.* Hæc Gaguinus, qui quamuis pulsus Campanæ Meridianum à Ludouico XI. Arnoldus modò ab Urbano Secundo, modò à Gregorio Nono, & Genebrardus ab Ho-

Ferreol. Locrius lib. 7. c. 16. in Maria Augusta.

Ludou. XI. Gallorum Rex lib. 10. c. 12. Hist. Francorum. Roberti Gaguini. Vide Genebrardum in Chron. lib. 4. ad An. 1227.

Figuratè dictum, pars pro toto, id est, vno poplite pro duobus.

Genebrard. vbi supra.

norio Tertio institutum fuisse velint, aliorum tamen sententia est, dictum in Meridie Campanam pulsandi Ritus à Calixto Tertio fuisse inuentum, Vespertinum autem à Ioanne XXII. Si Polydoro Virgilio hac in re acquiescendum sit; vel potius, & quidem verius affirmandum est, Pulsus Campanæ Meridianus à Calixto Tertio fuisse inuentum eadem sanè de causa, qua pulsus Matutinus, & Vespertinus ab Urbano Secundo fuerant instituti, vt eo scilicet Meridiano pulsu Populus Christianus excitatus, orare pro Exercitu Christiano in Hungaria contra Turcas decertante recordaretur. Nam Gregorius Nonus non pulsus Campanæ Meridianus instituit, sed tantum, vt ad consecrationem sacrosanctæ Eucharistiæ Campanæ pulsarentur, præcepit, sicut in capite primo, ad eiusdem ferè Capitis calcem satis bene iuxta eandem plurium Auctorum sententiam demonstratum fuit. Quod autem, vt nuper iam diximus, Meridianus Campanæ pulsus à Calixto Tertio fuerit institutus, colligitur ex diuersorum Auctorum scriptis, præsertim verò ex Francisco Ioannetto, qui in libro de Vitis Romanorum Pontificum in eodem Ca-

Calixt. III.

Polyd. Virg.  
de Io. 22. li.  
6. de Inuen.  
rerum c. 12.

Greg. IX.

Vide Genebrard. lib. 4.  
Chro. ad An.  
1227. 1241.Franc. Ioan.  
num. 388.

lixto ait hisce verbis : *Statuit præterea Calixtus , signum Campanis in Meridie dari , quo orationibus assiduis Christi Fideles Deum contra Turcas pro nostris militibus suppliciter rogarent . Idem scriptum reliquit Platina dicens : Mandauit præterea Calixtus , vt assiduo rogatu Deus flecteretur , in Meridie Campanis signum dari Fidelibus omnibus , vt orationibus eos iuuarent , qui contra Turcas continuo dimicabant . Istuc ipsum ad verbum refert Fr. Alphonus Ciacconius in eodem Calixto , qui , vt ambo referunt , statim post suæ Consecrationis solemnitatem , Bellum Sacrum , quod Cruciatam appellant , in publico Consistorio Turcis indixit , idq. se ante Pontificatum vouisse ostendit suo Chiographo his verbis scripto , quod in libro quodam extabat : *Ego Calixtus Pontifex Deo omnipotenti , & Sanctæ , ac indiuiduæ Trinitati voueo me bello , maledictis , interdictis , execrationibus , & demum quibuscumque rebus potero , Turcas Christi nominis Hostes saeuissimos persecuturum . Hucusque Platina , & Ciacconius de pulsu Campanæ Meridiano instituto à Calixto Tertio contra Turcas , qui Constantino-polim , ac totum Orientale Imperium , pulsus Christianis , occupauerant . Platina verò sub-**

Plat. in Calixto 3.

Fr. Alphon. Ciaccon. in Calixto 3.

A. Do. 1455. Cruciatam indicitur.

Calixti Votum.

dit hæc verba dicens : *Crediderim ego tum precibus omnium , Christianos ad Belogradum contra Turcas dimicantes , Duce Ioanne Vaiuoda , Viro clarissimo , astante etiam Ioanne Capistrano Ordinis Minorum , Crucemq. pro Vexillo Hostibus inferente , eos , Belogradum oppugnantes , ingenti clade superasse .* Hæc Platina . Non desunt qui iuxta vulgatam opinionem , aut sententiam , pulsum Campanæ Vespertinum , & Matutinum ad tempus illud , in quo Beata Maria semper Virgo fuit ab Angelo salutata , & in Angeli Salutatione , atque Annunciatione ipsi Virgini præstita , Christus Dominus in eiusdem Virginis utero conceptus fuit , referendum esse dicant ; Quam rem præferre item videntur Antiphonæ illæ præuiæ , quæ in Salutatione Angelica recitanda dicuntur , quæque dictam Salutationem Angelicam , Annunciationem , Conceptionem , & Incarnationem complectuntur . Quæ omnia in capite decimo sexto , & fusissimè quidem explicata sunt . Quoniam verò quota hora diei Angelus Domini Beatæ Mariæ semper Virgini apparuerit , certò non constat ; propterea pulsus Campanæ Vespertinus , & Matutinus dari solent ad talem diei horam infi-

Orationum  
leu precum  
effectus.

Io. Capistr.

Campanæ  
pulsus Ve-  
spertinus.&  
Matutinus  
cur fiant .

Cap. 16.

Angelus  
quota hora  
B. Mariæ  
semper Vir-  
gini appa-  
ruerit .

Ferreol. Locrius lib 7. c. 16. in Maria Augusta Virg. Deip. Et Io. Azor. p. 2. lib. 1. c. 17. q. 4. Nocte appetente, id est appropinquante.

Ferreol. Loc. ubi supra.

S. Athanas. sermo. de Deipara.

Io. Azor. p 2 lib. 1. c. 17. q. 4.

nuandam, aut commemorandam. Nonnulli enim arbitrantur, vt Azorius, & Ferreolus testantur, *Nocte appetente, Angelum ad Beatam Virginem venisse, Et eam salutasse, atque cum ea sermonem habuisse usque ad mediam noctem, tandemq. Virginem consensum præstitisse suum, tuncq. Filium Dei in eius utero secundum carnem fuisse conceptum.* Quamuis autem iuxta hanc opinionem Christus Dominus media nocte fuisset conceptus, & natus in Vtero virgineo; anticipatiuè tamen, vt ait Ferreolus Locrius, in Vespere pulsatur Campana, ne Campanæ sonus foret omnino vanus, dum in ipso mediæ Noctis silentio somnus altus dormientium premit corda. Alij verò cum Sancto Athanasio in sermone de Deipara semper Virgine dicunt, Angelum Beatæ Virgini apparuisse initio diei, hoc est, in Aurora matutina; & tunc Christum fuisse conceptum. Hæc ex acutissimo Theologo Ioanne Azorio, qui in Institutionibus moralibus dicta omnia facta fuisse media Nocte desinente, & incipiente iam Die, probat, & eruditissimè quidem. Verum quia (vt diximus) certò non constat, quota hora, hoc est, vel Vespertina, vel Matutina Angelus Domini Bea-



tæ Mariæ semper Virgini apparuerit, Vespere, ac Mane trinus Campanæ pulsus pro Salutatione Angelica recitanda in sancta Dei Ecclesia fuit institutus. Hæc de Ritu pulsandi Campanam in Vespere, Mane, ac Meridie in Sancta Dei Ecclesia recepto. Nunc superest, vt ceteros eiusdem Ecclesiæ vsus pulsandi Campanas explicemus.

*DE . VSU . PULSANDI . CAMPANAS  
ad laudem , & gloriam Dei omnipotentis ,  
& honorem Sanctorum in diebus Fe-  
stis , & sacris Processionibus ce-  
lebrandis , necnon in gratia-  
rum actionibus .  
Cap. XIX.*



**C**AMPANAE in Ecclesia Dei receptæ, quatenus Diuino cultui dedicatæ, vt suo iam loco diffusè diximus, consecrantur. Propterea in diebus festis, & in sacris Processionibus ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, & honorem Sanctorum pulsari solent, vt ad earum pulsus mentes hominum interius excitentur ad laudan-

Campanarū  
pulsatio in  
diebus festis

Campanarū  
pulsatio ad  
Dæmones  
fugandos.

Campanarū  
pulsatio ad  
Festiuitates  
indicandas.

Campanarū  
pulsatio pro  
gratiarum  
actione.

dum Deum, & ad Sanctos honorificè inuocandos eleuentur. Nam sicut Campanarum pulsus Christi Fidelibus mentem excitat, & ad hæc facienda extollit; ita è conuerso Dæmones per aërem cursitantes, earumdem sonum, tamquàm Diuino cultui, & Sanctorum honori dicatum, mirum in modum effugiunt, & abhorrent, quippe qui ex eo Campanarum pulsu non parum affliguntur. Adde etiam, quòd Campanæ dum etiam ad Festiuitates, & Processiones indicandas pulsantur, Populi per ipsum Campanarum sonum præmonentur, & ad illas conuocantur; necnon ad eas ritè celebrandas animum ad Deum eleuatum præparare student. Idcirco Campanæ non semel ante Festiuitatum Ecclesiasticarum, & Processionum celebrationem, atque in iisdem celebrandis frequenter pulsari solent.

Istuc ipsum pro gratiarum actione fieri solet, Victoria contra impios Ecclesiæ Sanctæ Hostes Diuino auxilio parta, vel pro alia id genus re assiduis precibus apud Deum impetrata. Nam multiplici Campanarum fonitu mentes hominum ad gratias ipsi Deo agendas, & habendas excitantur, & gaudio afficiuntur, spirituali solatio perfusi.

DE . VSU . PULSANDI . CAMPANAS  
pro Defunctis . Cap. XX.



**V**S pulsandi Campanas pro Defunctis, à Calvinistis vetitus, in Sancta Dei Ecclesia perantiquus est, Christiana pietate institutus: propterea quòd tali Campanarum sonitu (ait Beda) viuentes perinde atque inuitati quodam modo cohortantur, vt Defunctos ad Ecclesiam delatos comitentur, vel saltem pro illis ad Deū preces effundant: *Sancta enim, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, sicut in secundo Machabæorum legitur libro. Comitatus autem ille ad opus sepeliendi mortuos, ex septem operibus misericordiæ corporalibus vnum, referri potest. Quæ sanè institutio, & consuetudo perantiqua, valde pia, & valde necessaria censetur, quia (vt ait Guillelmus Bernardus) citra hūc vsū pulsandi Campanas, morte multorum à multis ignorata, Defunctorum animæ precibus Fidelium non iuuarentur, nec Viuentibus ob huius generis opera præmium apud

Cornelius Schultingius in Hierarchica anacrisi li 9. num. 47. lib. 12. num. 47.

Beda lib. 4. c. 23. & Stephan. Durantus lib. 1 c. 22. num. 4. c. 23. num. 14

2. Machab. 12. in calce.

Guillel. Bernard. in lib. de sepulturis, & exequijs.

Deum

Deum merendi daretur occasio. Hinc, vt sentio, laudanda videtur consuetudo illorum locorum, in quibus ad sonitum, seu tinnitum funebrem expressius indicandum, Campanæ non ad vtramque, sed ad vnâ tantum partem paulatim, aut sensim pulsantur, quasi mœrorem quemdam, vel humanam viuentium imbecillitatem quodam modo repræsentantes. Hoc autê Campanarum tinnitu nō solum ea, quæ dicta sunt, pro Defunctis præstantur, sed etiam cum Hymnis, & Canticis, necnon cum cereis ardentibus, aut luminaribus, pium Christicolarum transitum honoramus iuxta sancti Gregorij Nazianzeni sententiam dicentis: *Nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus Nos Christiani pium è vita discessum ornandum existimamus; Vel, vt inquit Ioannes Chryso- stomus, Defunctos tamquàm Athletas comitamur; perinde, ac si dicatur: Quamuis Animæ, quarum corpora ( vt Guillelmus Bernardus verba Chryso- stomi interpretando ait ) sepelienda sunt luminaribus accensis ad significandum ( inquit Durantus ) animas viuere, ac defunctos filios Lucis, & eorum corpora surrectura comitamur, mox ad beatitudinem forsan conuolarent; corpora tamen; quibus, vt organis, ( ait*

Greg. Naz.  
in Orat. 2. in  
Iulianum.

Io. Chryso.  
homil. 4. in  
Epistol. ad  
Hebr. To. 5.  
& homil. 70  
ad Pop. An-  
tioch. To. 5.  
Hierony. in  
Epitaph. Pau-  
læ.

Guill. Bern.  
de sepult. &  
exequijs.  
Steph. Du-  
ran. lib. 1. c.  
23. num. 14.


Guil-

Guillelmus Bernardus ) *ad pias efficiendas operationes, per quas, debellatis Hostibus, Triumphum assequuta sunt; his honoribus prosequi solemus. Hæc, vt Damascenus in Oratione de Fidelibus Defunctis ex Athanasio inquit, grata sunt Deo, ingensq. ab eo præmium referunt. Ad huius generis comitatum Fidelibus defunctis præstandum, in Ecclesia sancta Dei à Christicolis in Funeribus pulsari solent Campanæ benedictæ, seu consecratæ, quibus etiam, quatenus consecratis, Dæmones, vt infra explicabitur, expelluntur: Id quod ab Ethnicis, falsos Deos colentibus, in suis funeribus fieri haudquaquam poterat, etsi, cum quis è vita decedebat, Aera, quasi Campanas prophanas, pulsabant, per Campanarum sonitum malos, infestosq. Spiritus repelli, aut coërceri supersticiosè, ac falsò quidem credentes, vti suo iam loco dictum fuit.*

Io. Damasc.  
pag. 316. b

Campanæ  
consecratæ  
ad ipsos Dæ  
mones ex  
pellendos  
pulsantur  
cap. 21.

Cap. 3. pag.  
34.



DE . USU . PVLSANDI . CAMPANAS  
 ad improbas pluuias , vel tempestates  
 expellendas . Cap. XXI.



CAMPANAE, quatenus benedi-  
 ctæ, seu consecratæ, vt plurimū  
 nec fulgure, nec fulmine affla-  
 tæ, seu tactæ inuentæ sunt, im-  
 mō ea, nec non procellas, vel tē-  
 pestates expellunt, sicut ita fieri solere con-  
 stat, & in earundem consecratione, sicut in  
 Pontificali Romano videre licet, obsecratur  
 Deus, vt ipsarum Campanarum sonitu fra-  
 gor grandinum, procellæ turbinum, impetus  
 tempestatum, & fulgurum, ac fulminum  
 temperentur; infesta tonitrua, & ventorum  
 flamina suspendantur; spiritus procellarum,  
 & aëreæ potestates prosternantur. Quæ item  
 omnia in Concilio Prouinciali Coloniensi le-  
 guntur eo in capite, cuius Titulus est, *Cur be-  
 nedificantur Campanæ*. Immo dicto in loco, vt  
 superius, & fusissimè quidem in capite sexto  
 videre est, de ipsis Dæmonibus propulsandis  
 expressa fit mentio: Dæmones enim, quip-  
 pe quibus ( quatenus Deus illis permittit )

Pontificale  
 Romanum  
 p. 2.

Concil. Co-  
 lon. 1. c. 14.  
 p. 9 To. 5.  
 A. Do. 1536.

Vide cap. 6.  
 pag. 55.

quan-

quantum ad motum, vt Theologi omnes affirmant, ad nutum, sicut etiam Angelis bonis, obediunt; pluuias, tempestates, fulgura, & fulmina, & id genus alia, sed iusta, & occulta nobis de causa, Deo permittente, possunt efficere. Propterea, dum procella nobis imminet, siue turbo, vel grando, & generaliter quouis cæli status inquietior sese nobis offert, Campanæ pulsantur, vt Dæmones, quatenus dictarum rerum interdum patratores, aut excitatores, Campanarum tintu, Christianos ad preces concitantium, terreantur; quin potius precibus ipsis territi abscedant, illisq. summotis, fruges, mentes, & corpora credentium seruentur, cunctis malis, quæ ex tempestatibus oriri solent, Dæmonum fuga propulsis. Nec silentio prætereundum videtur miraculum illud, quod narratur de Campanula à S. Bennone Misnensi Episcopo benedicta. Nam ad sonitum illius Campanulæ (quæ quodam in loco extat apud Misnam, Germaniæ Ciuitatem) totum eius Territorium à fulgure, & tempestate, vt incolæ ipsius loci affirmant, tempus vsque in præsens conseruatur, etiam si loca viciniora sæpe ab illis lædantur. Istuc ipsum de alia Cam-

Vide cap. 6. pag. 55.

Hiero. Mag. li 4. Miscell. cap. 14.

Paulus Ghirlandus q. 6. de Sortilegijs.

Guido Pancirollus de nouis reperitis Tit. 9. de Campanis.

Concil. 1. Colon. cap. 14. to. 5

Campanæ benedictæ à S. Bennone sonitus quid efficiat.

Benno apud  
Slauos nuncupatus, Benedictus Latinè interpretatur.

pana in Pago Scomberch ab eodem benedicta Bennone (quod nomen à Slauium lingua translatum, Benedictus Latinè dicitur) omnino affirmatur. Sonitus namque illius Campanæ omnem vim cæli ab agris finitimis, ac tugurijs auertit.

Quamuis autem per multiplicem Campanarum sonitum aër nubibus condensatus, ac turbulentus concutiatur, & ob huius generis discussionem quandoq. serenus reddi queat; earum tamen tinnitus, dum tempestatum ostenduntur indicia, in Ecclesia sancta Dei etiam ad procellas repellendas institutus fuit; præsertim verò ad fulgura, & fulmina propulsanda, fugatis Dæmonibus, qui consecratas Campanas tantopere abhorrent, earumq. sonitum tanto prosequuntur odio, in quo Hæretici, atque Turcæ Dæmonibus valde assimilantur, quippe qui bellum Campanis indixerunt, vt superius dictum fuit. Hæc de usu pulsandi Campanas ad improbas pluuias, vel tempestates expellendas conscripta in ipso festo Sanctorum Martyrum Geruasij, & Protasij, die decima nona Iunij, qua scilicet die, dum hæc de fulgure, ac tempestate conscriberem in Apostolico Vaticani Palatij Sacra-

Hæretici, ac Turcæ Dæmonibus assimilati.

Idem supra cap. i.

rio,



rio, ecce tibi procella fulmine associata sub-  
orta fuit, & à me non procul ictus est Aulæ  
Regiæ locus fulmine non sine magni animi  
mei consternatione, absque tamen vlla tam  
hominum læsione, quàm rerum perditione,  
misericordiarum Patre, totiusq. consolatio-  
nis Deo adiuuante, dum Campanæ ad  
preces fundendas Christi Fideles excitabant,  
pulsatæ.

Anno Dom.  
1610.

2. Cor. 1.

DE . USU . PULSANDI . CAMPANAS  
in alicuius magni Viri aduentu ad Urbem.  
Cap. XXII.



CAMPANAE in sancta Dei  
Ecclesia, quatenus Diuino  
cultui dedicatæ, vti iam di-  
ximus, consecrantur, & non  
solum ad laudem, & gloriam  
omnipotentis Dei, atque ad honorem San-  
ctorum, necnon ad lætitiã interdum spiri-  
tualem indicandam pulsari solent, sed inter  
alia permulta iam à nobis enarrata, etiam  
ad primarios Ecclesiæ Sanctæ Viros deco-  
randos, hoc est S. R. E. Cardinales, Patriar-  
chas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates,

& alios Prælatos in eorundem scilicet occursum, dum ipsi intra Ciuitates, Oppida, & alia loca, in quibus Ecclesiasticam præsertim iurisdictionem, & potestatem exercent, honorificè, ac lætanter excipiuntur, inter quos locum obtinet supremum Summus Pontifex, Patriarcharum Patriarcha, vniuersalis Ecclesiæ Pastor, Christi Vicarius, & Sancti Petri successor. De hoc vsu pulsandi Campanas in alicuius magni Viri aduentu ad Urbem mentionem faciunt Canonistæ, dum alios vsus pulsandi Campanas recensent, sed indefinitè quidem, hoc est, nulla penitus mentione facta de Prælati in hæc verba: *Campana est etiam quandoque signum gaudij, & honoris occurrendi processionaliter alicui*. Hæc Ioannes Andreas, Aegidius Bellemera, Cardinalis Zabarella, Cardinalis Ostiensis, & alij in primum librum Decretalium cap. 1. De officio Custodis. Quamuis autem Campanæ, quatenus consecratæ, ac diuino in primis cultui dedicatæ præter alios vsus Ecclesiasticos enarratos, etiam in aduentu Virorum ecclesiasticorum ad Vrbes, & ad alia loca, vti diximus, gaudij, & honoris gratia pulsandæ censeantur, talibus tamen gaudij, & honoris

Summi Pontificis nomina.

To. Andr. to. 1. num. 13.  
Bellemera  
p. 2. num. 1.  
Zabarella  
p. 2. num. 2.  
Ostien. to. 1. num. 1.  
Abbas to. 1. num. 2.

Pontificale Romanum  
De Coron. Regis. p. 1.

indi-

indicijs Imperator quoque, necnon Reges frui solent, ac debent, sacra vnctione insigniti, Dauid, Saulis, Salomonis, & aliorum instar, qui in Reges inuncti fuerunt, vt in primo, ac tertio Regum legitur libris: Rex enim, & Imperator sacro nunc Cathecumenorum oleo inunguntur, Brachium scilicet eorum dextrum, atque item Scapulæ, vt in Pontificali Romano, & in Sacrarum Cæremoniæ libro videre licet. Huius generis vsu pro Imperatore, ac Rege in Sancta Dei Ecclesia vigere ipsa exempla, siue facta, vbique occasione sese offerente, declarant. Id quod tamquam frequenti vsu firmatum ostendit Laurentius Surius in Vita Beati Ermenoldi Abbatis, qui Henricum V. Imperatorem à Paschali II. excommunicatum, & ante Monasterium, cui Ermenoldus præerat, transeuntem, Campanarum sonitu honorare noluit. Surius enim hac de re ita inquit: *Putabant omnes S. Ermenoldum, Abbatem loci, tum ob Imperatorie celsitudinis maiestatem, tum ob B. Othonis reuerentiam obuiam ei processurum cum Fratrum Collegio, cum Canticis, & Hymnis, Campanarumq. clangoribus, cum Vexillis, & Sacris Reliquijs. At ille multum diuer-*

1. Reg. 10.  
& 16.

3. Reg. 1.

Pontif. Ro.  
p. 1. & lib. 1.  
cærem. sect.  
5. c. 3.Laur. Surius  
To. 7. de Vi-  
tis Sancto-  
rum die 6. Iana-  
rij.

*sus ab Adulatoribus, nec metu impellebatur, nec flectebatur gratia, aut favore, ut illi honorificè obuiam veniret, aut blanditer illum salutaret, quem sciebat à Pontifice Maximo Ecclesiastica communi-  
one priuatum.* Hæc ex Surio; ex cuius verbis Vsum pulsandi Campanas in honorem Imperatoris, necnon Regis, dictam saltem ob causam, consuetum esse colligimus, propter Imperatoriam, & Regalem dignitatem, quæ sunt insigniti, quippe qui in ipsa Coronatione totius Imperij, ac Regni Rectores, Ecclesiæq. Sanctæ, ac Fidei Christianæ defensores, Infidelium expugnatores, Iustitiæ Cultores, necnon meritorum, ac demeritorum remuneratores declarantur.


Huius generis honor, in signum lætitiæ præstari consuetus, alijs item Principibus, præsertim verò Ducibus dari debet, ut colligitur ex sententia Canonistarum, qui, ut nuper diximus, hac de re indefinitè loquuntur in hanc verborum formam: *Campana est etiã quandoque signum gaudij, & honoris occurrendi processionaliter alicui.* Per quæ sanè verba etiam Duces inter magnos Viros, vel Principes dignitate scilicet, ac potestate insignitos recensentur. Talibus itaque Viris, vel

Pontif. Romanum p. 1.

Canonistæ  
in lib. 1. Decretal. c. 1.


Prin-

Principibus dignitate , ac potestate decoratis , è longinquo ad sui dominij loca , siue suæ ipsorum iurisdictioni subiecta redeuntibus Campanæ in signum honoris , ac lætitiæ pulsari solent . Hi denique omnes tam sæculares , quàm Ecclesiastici , dignitate , ac potestate insigniti , in locis haud sibi subiectis ad arbitrium illorum , qui eis dominantur , sonitu Campanarum in signum lætitiæ honorantur , dum solemnibus apparatu intra Ciuitates excipiuntur . Id quod Religiosis item Viris præstari solere constat , dum inter visitanda Monasteria , suorum Ordinum Magistri ( hoc est , Priores Generales ) Ciuitates , vel Oppida ingrediuntur .



*DE . MULTIFLICI . VSU . CAMPANAE  
in Ecclesia sancta Dei, tam horis distinguendis,  
quàm alijs Vniuersitatum, Collegiorum,  
Scholarum, Communitatum, Cæno-  
biorum, Xenodochiorum, & Ma-  
gistratum commoditati-  
bus deseruiente.*

*Cap. X X I I I .*



Cap. 1. pag.  
10. & cap. 3.  
pag 37.  
Ex Theatro  
Vitæ hum.  
10. 20. lib. 3.

Lucian. to. 2  
de Hipp. Bal-  
neo A. Dom.  
C.

Pag. 10

VAMVIS de Horologij pro di-  
stinguendis horis vsu in primo  
huiusce Commentarij capite,  
necnon in tertio capite satis di-  
ctum videatur, dum de ipsius  
Horologij apud Ethnicos Inuentore, atque  
vsu loquebamur; nos tamen de vsu in sancta  
Dei Ecclesia recepto verba facturi, perpau-  
ca, & breuiter quidem ex ijs hoc loco repe-  
temus. Nam etsi, vti iam diximus, Lucianus  
Samosatensis, qui vixit circa Annum Domi-  
ni centesimum, Hippix Balneum describit,  
& commendat Horologijs exornatû duobus,  
vno scilicet per aquam, & sonitum (quod  
Hydrologium nuncupatur) altero autem per  
Solem; primus tamen Inuentor ignoratur.

Non

Non defunt etiam , qui velint, vsum Horologij Obelisco Aegyptiaco additum fuisse ab Octauiano Augusto Imperatore , cuius Imperij anno 42. ineunte , Christus Iesus , Rex Regum , & Dominus dominantium , & Saluator noster natus est . In Ecclesia verò Sancta Dei Sabinianus Pontifex Maximus , qui sancto Gregorio Magno Anno Domini 605. successit , Phoca Imperatore , Horas diei sono tintinnabulorum distinxit , vt Volaterranus in Anthropologia scriptum reliquit . Huius generis inuentum quanta sit laude dignū , vix verbis explicari posset . Quid enim homini gratius , & commodius inueniri potuit Horologio , quo nobis , etsi occultato Sole , per Campanam , sua , vt ita dicam , sponte sonantem , Horæ distinctæ nunciantur ? Quot autem comoditates , & vtilitates ex Horologij vfu nobis nascantur , esse hominem , qui ignoret , arbitror , neminem , si cuiusque status , & indigentia in Horis distinguendis examinentur .

Vniuersitates autem , Collegia , Gymnasia , aut Scholæ , Communitates , necnon Cœnobia , & Xenodochia non solum Horologio indigent , sed etiam alio , & fre-

Octau. Augusti Horologium.

Sabinian. Ann. Dom. 605.

Volaterr. lib. 22.

Polid. Virg. lib. 3. c. 18.

T quen-

quenti quidem, Campanæ pulsandæ vsu,  
ac ritu.

DE . ALIIS . CAMPANAE . USIBUS  
in Ecclesia sancta Dei receptis .  
Cap. XXIV.



S V S item Campanæ in vigi-  
lijs nocturnis excubitoribus  
deseruere solet, in locis præ-  
sertim præsidarijs, in qui-  
bus ad pulsum Campanæ il-  
licò responderi necesse est, vt in Arcibus, aut  
Castris fieri semper solet. Campanulæ deni-  
que pulsandæ vsus receptus fuit in Monaste-  
rijs, & in Aedibus Virorum Principum, seu  
Magnatum tam Ecclesiasticorum, quàm Se-  
cularium. Nam in Monasterijs Campanæ  
sonitus adhibetur, dum ibi degentes conuo-  
cantur ad orationem ferotinam, & ad alia in  
Monasterijs facienda, præsertim verò dum  
Cœnobiorum Familiæ ad prandium, & ad  
Cœnam inuitantur.

Idem Campanulæ pulsandæ vsus, vti dixi-  
mus, in Aedibus S. R. E. Cardinalium, &  
Prælatorum, necnon aliorum Magnatum

obser-



obseruatur, dum Familiæ in obsequium Dominorum suorum, vel pransum, & cœnatum per Tintinnabula in superioribus Aedium appensa turrulis conuocantur, ita verò, vt non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt, Campanulæ sonum audiant, & sui quisque domestici Tintinnabuli, aut Campanulæ tinnitum agnoscat: Immo Principes Viri, & præsertim Cardinales, & Episcopi, cum domi, aut in cubiculis versantur, vt linguæ, ac lateribus parcant, per ipsa Tintinnabula minora, siue minima, eorumdem manibus mota, famulos ad se accersire solent.

Magnatum Campanulæ.

Hinc locum illum, in quo Familiæ S.R.E. Cardinalium, & Prælatorum, necnon aliorum Magnatum comedere solent, ab ipso Tintinnabuli, seu Campanulæ tinnitu, vti iam diximus, Tinnellum vulgò appellant, quasi Tintinnellum à Tintinnabuli tinnitu ita vocitatum, media syllaba per syncopem detracta, sicut in secundo huiusce Commentarij capite fusius explicatum fuit, dum de Campanæ Nominibus habetur sermo.

Cap. 2. pag. 17.

Tinnellum vnde dicitur.

Cap. 2. pag. 17.

Magistratus denique, atque publicam personam gerentes, in causarumq. cognitione sedentes per Tintinnabula minora, siue mi-

Hiero. Mag.  
cap. 18. de  
Tintinnab.

nima litigantes accersunt in auditorium, & ijs item silentium imponunt, vt Hieronymus Magius refert, qui Florentiæ id se non semel, sed sæpe spectasse testatur.

Hæc de multiplici Campanæ vsu in Ecclesia Sancta Dei recepto. Nunc reliquum est, vt ea explicemus tempora, in quibus Campanas pulsare non licet, causis de hac prohibitione allatis.

DE . TEMPORIBUS . IN . QUIBUS  
*Campanas pulsare non licet, & cur ita.*

Cap. XXV.



**N** triduo Hebdomadæ Sanctæ, in qua Passionis, & Mortis Christi Domini Saluatoris nostri memoria recolitur, Campanæ non pulsantur, sed silent, & Campanarum loco Tabulæ malleo ferreo pulsantur, quia tunc siluerunt Apostoli, & Prædicatores, atque alij, qui per Campanas, vt scribit Guillelmus Durandus, intelliguntur, aut designantur: Sonus enim Campanarum sonum prædicationis significat iuxta

illud

Guille. Dur.  
lib. 6. cap.  
72. nu. 3.

illud : *In omnem terram exiuit sonus eorum , et in fines Orbis terræ verba eorum* . Id quod de Apostolis dictum fuit , qui cum audissent Christum Dominum dicentem : *Ecce appropinquavit qui me tradet ;* præ tristitia siluerunt , & dormitauerunt , & ex consequenti à laudibus , & prædicationibus conticuerunt . Ad Apostolorum itaque silentium repræsentandum à Completorio , vt ait Durandus , vel à Vespera , qua Dominus traditus fuit , Campanarum silentium inchoatur , quando scilicet Discipuli fugerunt , Dominumq. dereliquerunt , à fidei confessione cessantes . Ad eosdem Discipulos fugientes , atque in laudibus , & prædicatione conticentes representandos , Candelæ Candelabro appositæ in tribus Matutinis Hebdomadæ Sanctæ singulatim extinguuntur , Suprema, in candelabro sita , excepta , quæ (vt ceteros prætermittam significatus) è candelabro ipso amouetur accensa , & ita ad finem vsquæ Matutini latenter asseruatur , vt postea ostendatur accensa , & Ecclesia illuminetur ; significat fidem , quæ in Deipara Virgine semper mansit ; necnon designat Christum Dominum , qui licet videretur secundum carnem extinctus , tamen se-

Pl. 18.

Matth. 26.  
Mar. 14.

Dur. vbi supra, &amp; Paulus Fuscus de Visit. lib. 1. c. 14. num. 10.

Notandum.

Durand. vbi supra. c. 72. num. 25.

cundum Diuinitatem, quæ illis erat occulta, viuebat; & postea resurgens cum luce clarissima sese suis Discipulis manifestauit, eosq. illuminauit. Hæc ex Durando.

Campanæ igitur, vt eò, vnde digressi sumus, reuertamur, silent in tribus illis diebus. Ad Missam deinde Sabbati Sancti, Resurrectione Christi Domini prænunciata, pulsantur. Sed in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. decretum fuit, vt nulli Ecclesiæ in tali die Campanas pulsare liceret, antequam Campana Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis pulsaretur. Concilij verba sunt hæc: *Vt debitus honor Matrìci Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quàm alij Clerici seculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis priuilegio muniti, Die Sabbati maioris Hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsauerit, Campanas in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Hæc de Campanarum silentio in illis diebus maioris Hebdomadæ obseruando.

Tempore item Interdicti Campanas pulsare non licet, dum propter celebranda officia Campanarum pulsatio cum ingressu Ec-

cle-

Concil. Lateran. sess. 11.  
To. 5. Conc.  
Anno Dom.  
1521. pag.  
179.

Calder. 2. p.  
Tract. n. 4.  
Te. 14. Tractatum.


clesiæ prohibetur. Nam si Ecclesiasticis concedatur celebratio diuinorum officiorum, & administratio Sacramentorum; id non nisi ianuis clausis; interdictis & excommunicatis omnino exclusis, & non pulsatis Campanis, concedi solet, diuinis quoque officijs voce summissa recitatis. Pulsatio tamen Campanæ in tempore Interdicti conceditur in Mane, Meridie, ac Sero pro Angelica Salutatione ad honorem Beatæ Mariæ semper Virginis recitanda, vt à cunctis laudetur, ac veneretur, & vt nobis in nostris necessitatibus Virgo Deipara opem ferat. Quamuis hæc ita sese habeant, Innocentius tamen huius nominis tertius concessit Abbati, & Monachis Sancti Germani Antisiodorensis, vt in morte, atque Exequijs Monachorum ipsius Monasterij tempore Interdicti Campanam vnicam pulsare possent, ita vero, vt non multum foret interuallum, nec proluxa pulsatio. Id quod & Cathedrali etiam Ecclesiæ, & Monasterio S. Iuliani Antisiodorensis aliàs datum fuisse in ea narratur concessione. Hæc ex libro Anni 6. Innocentij III. Epistola 24. Alexander item huius nominis quartus Ludouico Sancto Francorum Regi, &

Armill. verbo Interd. n. 40.

Summorum Pontificum Registra, quæ in Bibliotheca Vaticana asseruantur.

Margaritæ Vxori eius ; Gregorius X. Philippo III. Regi , & Mariæ Vxori eius ; Nicolaus III. eidem Regi Philippo ; Martinus IV. eidem Philippo , & Vxori eius , necnon Honorius IV. eidem Philippo concesserunt , vt in locis generaliter , vel particulariter interdictis Missæ sibi celebrari possent , etiam cum cantu , & alta voce ; sed in tali casu concedere noluerunt , vt pulsarentur Campanæ. Hæc ex Registris dictorum Pontificum in Vaticana Bibliotheca asseruatis. Hactenus autem de multiplici Campanarum vsu , necnon de silentio earumdem . Nunc denique superest , vt Commentario nostro finem imponamus , vbi primum verba fecerimus de numero Campanarum Ecclesijs concessio .

Registra Bi-  
bliothecæ  
Vaticanæ.



DE NUMERO CAMPANARVM  
tam Clericorum secularium, quàm Religiosorum  
Ecclesiis concessò. Cap. XXVI.

**N**UMERO Campanarum  
crescente, contentiosa inter  
Ecclesiasticos Viros præten-  
sio de numero earundem subor-  
ta fuit, vt refert Albericus de  
Rosate dicens: *Audiui, quòd magna lis fuit  
in Curia Romana, Utrum Fratres Prædicatores  
possent habere plures Campanas.* Hæc Albe-  
ricus in suo Dictionario, in quo multis ra-  
tionibus, & allegationibus affirmatiua sen-  
tentiam conclusam fuisse narrat. Istuc  
ferè ipsum Oldradus in Consilio ducente-  
simo vigesimo octauo scriptum reliquit. Ad  
hanc controuersiam inter Ecclesias Cathe-  
drales, necnon inter alias Clericorum se-  
cularium, & Ecclesias Religiosorum subor-  
tam, spectat Constitutio Ioannis Vigésimi  
secundi in Libro primo Extrauagantium  
capite vnico *De Officio Custodis*, in quo ad  
omnium Ecclesiarum quietem comparan-  
dam Summus Pontifex limitationem de nu-

Alber. in  
Dictionario  
suo in vo-  
cab. Campa-  
na.

Oldradus  
consil. 228.

Extrav. lib.  
1. de Offi-  
cio Custo-  
dis:

Steph. Durant. lib. 1. de Rit. Eccl. c. 22. num. 9.

Albericus, & Oldradus vbi supra.

S. Karolus Borromæus lib. 1. c. 25.

mero Campanarum Apostolicis litteris edidit. Huic autem Constitutioni, vt Vincen-  
tius de Castronouo, ac Stephanus Duran-  
tus rectè aiunt, generali consuetudine de-  
rogatum fuisse constat. Controuersia item  
orta fuit in Curia Romana inter Ordinem  
Humiliatorum, & quosdam Monachos, vt  
idem Albericus, & Oldradus testantur, quif-  
nam videlicet primò Campanas ad Matu-  
tinum pulsare deberet. Sed tandem ali-  
quando decretum fuit, sicut ijdem Testes  
aiunt, vt qui primò surgeret, primò pul-  
saret.

Quamuis autem res ita sese habeant,  
præsertim verò de numero Campanarum,  
hoc tamen loco, vt nostro Commentario  
finem imponamus, tanquam sigillum appo-  
nendum illud censetur, quod hac in re  
scriptum reliquit Sanctus Karolus Borro-  
mæus, Cardinalis Sanctæ Praxedis, & Ar-  
chiepiscopus Mediolanensis: Is enim in  
Libro de Instructione Fabricæ, atque de  
supellectili Ecclesiastica ad Mediolanensis  
Prouinciæ vsum edito, de numero Campa-  
narum ita inquit: *Si Ecclesia Cathedralis est,*  
*septem, aut quinque ad minimum Campanas;*



si Collegiata, tres, grandiore[m] scilicet, mediam, & minimam; si Parochialis, totidem, aut duas saltem habere debet; easq. distincto quodam soni concentu inter se consentientes pro varia divinorum Officiorum, quæ sunt, ratione, ac significatione. Hæc ibi Sanctus Karolus. Infra verò ait: Campana verò nec in Turri, nec alio in loco collocanda sunt, nisi primùm solemnibus benedictionibus, precumq. Ritu ex Ecclesiæ instituto sint consecrata, nullam rem prophanam insculptam, inscriptamve ullo modo, sed Sancti Patroni Ecclesiæ, vel aliam sacram Imaginem, piamq. Inscriptionem habentes.

Hucusque Sanctus Karolus Borromæus. Campanæ itaque in rebus prophanis pulsari non debent, nec item in rebus sacris à Laicis, quatenus benedictæ, atque consecrata, uti suo iam loco satis dictum fuit.

Quoniam verò de Campana Aenigma satis elegans circumfertur, illud in gratiam curiosi Lectoris hoc loco censeo apponendum, quod Franciscus Suuertus in hæc verba scriptum reliquit:


Cap. 13.

## A E N I G M A

## Francisci Suuerti

In Mag. cap. 20.

*Est intra celos , est intra mansio terras ,  
 Non calum tango , non quoque tango solum .  
 Constringor vinclis , concludor robore duro ,  
 Ut nulla mutem conditione locum .  
 Os mihi semper hiat , petulanter & exero linguam ,  
 Nec , nisi cum cogunt verbera multa , loquor .  
 Cum loquor , assiduis repleo clamoribus aures ;  
 Verbera cum cessant , tunc quoque cesso loqui .  
 Non ulli noceo clamoribus ; hortor iniquos ,  
 Contrito ut querant corde salutis iter .*




## A E N I G M A

## Nicolai Reusneri.

*Os mihi semper hians, & pendens ferrea lingua est;  
Vox est nulla, nisi prodita verberibus.*

Hæc sunt, quæ mihi de Campanis dicenda videbantur, duobus conclusa Aenigmatibus, quæ iuxta propriam Aenigmatum conditionem, quamvis obscura sint; horum tamen sensus, Campanæ forma, & lingua eiusdem, idest malleo, necnon situ, & pulsatu ipsius cum alijs rebus ad Campanam pertinentibus, vndequaque, ac diligenter quidem pensitatis, facillimè profectò explicantur, & intelliguntur.



PARALIPOMENA,  
HOC EST

*Res in capite 14. et 18. huiusce Commentarij  
prætermissa.*



CAP. XIV.



**N**OS de multiplici Campanarum  
vfu, in sancta Dei Ecclesia rece-  
pto, verba facientes, prætermisi-  
mus Ritur, quo Summi Ponti-  
fices antiquitus vti solebant, dum  
aliquem Populum, vel Principem iusta de  
causa excommunicabant. Singulis namque  
Dominicis, & festiuis diebus per Episcopos,  
& Archiepiscopos inter pulsandas Campanas  
candelis accensis, excommunicati publicè de-  
clarabantur. Quo facto, Campanarum soni-  
tus cessabat, & candelæ item extingueban-  
tur, in terram deiectæ. Campanæ pulsaban-  
tur, vt eorumdem sonitu, quo Dæmones ex-  
pelli solent, Excommunicati; Dæmonibus  
assimilati, à Fidelium commertio expulsus de-  
clararentur. Per candelas autem extinctas,

& humi

Cap. 14. pag.  
108. & sequ.

Excommu-  
nicati Dæ-  
monibus af-  
similati.

& humi deiectas, Excommunicati, tanquam diuinæ gratiæ luminis expertes, extraq. Sanctorum Communionem eiekti, hoc est, Ecclesiæ Sacramentis, ac suffragijs, necnon alijs pijs Fidelium operibus, dictarum scilicet rerum omnium participatione declarantur priuati. Quem profectò excommunicandi Ritum ab Innocentio huius nominis Tertio non semel obseruatum esse ante annos circiter quadringentos, Anno scilicet sui Pontificatus tertio, sexto, & quintodécimo, dum ipse diuersos Populos, ac Principes excommunicatos publicè nunciari mandauit, sicut ex antiquis Romanorum Pontificum Regestis, vel, vt aiunt, Registris in Bibliotheca Vaticana asseruatis, constat. Id quod etiam ad hanc vsque diem fieri solet à Summo Pontifice, quando in Feria V. maioris Hebdomadæ, quæ dicitur in Cœna Domini, Bulla coram Populo promulgatur: nam pulsatis iam Campanis, & Bulla denique lecta, Summus Pontifex è sublimi Suggesto, siue Pulpito, Candelam accensam, in ipso tractu extinguendam, super Populum astantem proijcit. His peractis, datur Christi Fidelibus Benedictio solemnis, & plenaria Indulgentia pro-

Innoc. III.  
ante Annos  
circiter 400.

Cæremonia-  
le Rom. lib.  
2. cap. 45.

mulgatur, vt in Cæremoniali Romano vide-  
re licet, vbi fit mentio de alijs item, hoc est,  
de S. R. E. Cardinalibus, & Prælatiſ, qui  
olim, Bulla recitata (quam etiam Proceſſum  
appellant) Candelas accenſas è loco illo ſu-  
blimi proijciebant in terram ad eandem  
rem deſignandam.

CAP. XVIII.

Pag. 123. &  
ſequ.



N Decimo octauo huiusce Com-  
mentarij Capite, in quo dixi-  
mus trinum Campanæ pulſum,  
vel ſonitum, in *Mane*, *Meridie*,  
ac *Sero* pro Salutatione Ange-  
lica recitanda inſtitutum fuiſſe non ſolū dum  
Chriſti Fideles Bello Tūrcarum diuerſis in  
locis vexabantur, nec non dum Bellum ſa-  
crum, hoc eſt, Cruciata pro Terra ſancta  
recuperanda gerebatur, ſed etiam pro pu-  
blica pace inter Chriſtianos obtinenda; ſi-  
lento prætermiſimus alium orandi Ritum in  
magnis Eccleſiæ ſanctæ calamitatibus tem-  
pore Nicolai Tertij ad ſonitum Campana-  
rum inter omnes quorumcumque locorum  
Chriſtiani Orbis Miſſas celebrandas obſer-

Bellum Sa-  
crum, ideſt,  
Cruciata.

Nicolaus  
III. ante an-  
nos circiter  
300.

uatum

uatum, vt in eiusdem Summi Pontificis legitur Bulla, quæ in Bibliotheca Vaticana asseruatur. Verborum Bullæ forma hæc est:

*Inter alia verò (Nicolaus Papa post multa inquit) Deuotorum suffragia, quibus propter hoc in laudis sacrificio Dominum honorabunt, in singulis Missarum celebrationibus post dictum à Celebrante, Pax Domini, responsionemq. sequutam, antequam ipse Celebrans, vel Respondentes (hoc est Chorus) incipiant Agnus Dei, cum deuotione debita in patena duabus Eucharistiæ partibus collocatis; tertia quoque cum Oratione solita in Calice mixta cum Sanguine, ipso quoque Calice cooperto, illud eximij Citharædi Canticum; Latatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, &c. à vobis Religiosis, Clericis, & alijs litteratis dici volumus cum Oratione, ac Versiculis infra scriptis, ipso Celebrante, alijsq. presentibus genua flectentibus, dum premissa dicuntur. Dicto Psalmo cum Gloria Patri, dicatur: Kyrie eleison. Christe eleison. Pater noster, &c. V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo.*

*V. Domine saluos fac Reges.*

*R. Et exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.*

*V. Saluum fac Populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ.*

R. Rege eos, & extolle illos usque in aeternum.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo. Oremus.

**L** Argire, quæsumus, Domine Fidelibus tuis Indulgentiam placatus, & pacem, ut pariter ab omnibus mudentur offensis, & securi tibi mente deseruiant. Per Christum Dominum nostrum. Respondetur. Amen. Post hæc dicuntur Agnus Dei, & cetera, quæ supersunt in Missa.

Hæc Nicolaus Tertius in Bulla sua pro pace inter Principes Christianos, præsertim verò inter Reges Franciæ, atque Castellæ inuicem dissidentes impetranda, ut Bellum Sacrum, hoc est, Cruciata contra Turcas instaurari facilius posset. Omnibus autem singulo quoque die ita orantibus decem dies de iniunctis pœnitentijs idem Summus Pontifex relaxauit.

Ioannes item Vigésimus secundus in grauiissimis Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, præsertim verò tempore schismatis, eandem orandi formam frequentauit, sicut ex

Bellum Sacrum, idest, Cruciata.

Ioan. XXII. ante annos circiter 200.

eiuf-



eiusdem Bulla, quæ in Archiuo Castri tanti Angeli asseruatur, constat: & ita orantibus idem Summus Pontifex Indulgentias quoque concessit, vt in eadem legitur Bulla. Hic autem orandi Ritus per trinum Campanæ sonitum Christi Fidelibus indicabatur, vt omnes ad orandum sese pararent.

Propter denique schisma è medio tollendum, & propter pacem Christi Fidelibus à Deo impetrandam, ad hanc vsque diem remansit Ritus dicendi, *Dona nobis pacem*, in tertio Agnus Dei, dum celebratur Missa. Antiquitus enim tribus vicibus vni-formiter dicebatur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis*; sed ob multas, & varias Ecclesiæ olim aduersitates Ecclesia cœpit ad Dominum de tribulatione clamare: *Dona nobis pacem*. Basilica verò Lateranensis tanquam antiquior, & quatenus aliarum Ecclesiarum primogenita, numquam in *Agnus Dei*, dicit, *Dona nobis pacem*, in celebratione Missæ, sicut nec Schola Cantorum, idest, Chorus; sed tribus vicibus vni-formiter dicit: *Miserere nobis*, ad antiquitatem illam conseruandam, quauis alia opinione prætermissa.

Schola Cantorum, idest, Chorus.

Hoc igitur ab omnibus eiusdem Basilicæ Sacerdotibus obseruatur. Quando autem in eadem Basilica coram Summo Pontifice, & S. R. E. Cardinalibus Missa solemniter cantatur, tertia vice tam à Celebrante, quàm à Schola Cantorum, qui Cappellæ Pontificiæ deseruiunt, dicitur: *Dona nobis pacem.*

De hoc Ritu in celebranda Missa obseruato, deinde mutato, Innocentius huius nominis tertius ante annos quadringentos mentionem facit in hæc verba: *Porrò secundum consuetudinem antiquam Scholæ Cantorum, quam adhuc ipsi conseruant, & in pluribus obseruatur Ecclesiis, ut in Lateranensi, nullatenus variatur; sed tribus vicibus uniformiter dicitur Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis; propter tria genera peccatorum, quæ petimus nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis. Et infra: Postmodum autem multis, & varijs aduersitatibus, & horroribus Ecclesiæ ingruentibus, cæpit ad Dominum clamare de tribulatione, Dona nobis pacem.* Hanc Innocentij sententiam recitat etiam Guillelmus Durandus in Rationali Diuinorum officiorum, nulla tamen mentione de Innocentio facta. Stephanus autem Durantus in libro tertio de Ritibus Ecclesiæ

Schola Cantorum.

Innoc. lib. 6.  
Mysteriorū  
Missæ c. 4.

Guill. lib. 4.  
cap. 25.

Steph. lib. 3.  
cap. 53.

sub Innocentij nomine affert in medium eamdem sententiam, cui assentiendum omnino censetur, qualibet alia consideratione, aut opinione silentio à nobis prætermissa.

Hæc de trino Campanæ sonitu, necnon de Ritu in tertio, *Agnus Dei*, in celebratione Missæ mutato, suadente occasione sese oblata de Pace, dum de Ritu orandi perantiquo, ad eam impetrandam instituto, loquebamur.

FINIS. COMMENTARII.



*Imprimatur, si videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.*

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

**E**GO Raphael Episcopuſ Zacynthi, & Cephaleniæ perlegi hoc opus de Campanis Reuerendiſſimi Episcopuſ Tagaſtenſis, nihilq. in eo inueni diſſentiens à Fide Catholica, & bonis moribus contrarium; immò, cum ſit varia eruditione refertum, exiſtimo vtiliter edi poſſe, ſi ita placuerit Reuerendiſſimo P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

*Imprimatur. Fr. Thomas Pallauicinuſ Bononien. Mag. & Reuerendiſſ. P. F. Ludouici Yſtella Sacri Pal. Apoſtolici Magiſtri ſociuſ, Ordiniſ Prædicatorum.*






INDEX  
RERVM . PRÆCIPVARVM  
QVAE . IN . COMMENTARIO  
COMPREHENDVNTVR .



A

 <p><b>AVNDIVS,</b> ac Theodor- us Custodes Mansiona- rij, vel Cam- panarij, in Martyrologium Romanum relati. 97. 98. 99. 100 Agatha sanctæ Sepulchrum, &amp; marmorea inscriptionis Tabula ab Angelo in eo re- lictæ. 56. 57 Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis; cur tribus vicibus unifor- miter antiquitus diceba- tur, sicut nunc dicitur in Ecclesia Lateranensi; in ceteris verò Ecclesiis ter- tia vice dicitur, Dona no- bis pacem. 163. &amp; 164</p>	<p>Alcuinus Bedæ Presbyteri Di- scipulus, &amp; Karoli Magni Præceptor. 39 Aldus Manutius iunior de Tinnello: 17. 147 Angelis bonis, &amp; spiritibus malis, materia corporalis quantum ad motum, obe- dire censetur ad nutum. 55. Angeli in Horologio tubas personantes representan- tur. 85 Angelica salutatio, idest, A- ue Maria, &amp;c. quando sine genusflexione recitari de- beat. 118. 119. 120. 121. &amp; 122. Angelica salutatio, idest, A- ue Maria, &amp;c. ad trinum Campanæ sonitum, Vespere,</p>
---	---

I N D E X

- re, & Mane, & Meridie recitari consueta, tria continet *Mysteria*. 125. 126
- Angelus quota diei hora B. Mariae semper Virgini apparuerit. 129. 130
- Anglora Magij Patria. 76
- Antiquitas, & Inuentio Campanarum. I
- Antiphonam, Salve Regina, cur certis diuinae rei horis addendam decreuit Gregorius Nonus. 116
- Antuerpiae Templum Augustissimū. Cuius Turris habet Campanas 33. 79
- Apollodorus de Dijs Gētiū. 35
- Apostolorum silentium, ac Discipulorum fuga in Christi Domini passione, ac morte, per Campanas in triduo Hebdomadae sanctae silentes representantur. 148. 149.
- Istuc ipsum per Candelas eodem triduo ad Matutinum extingui consuetas representatur. 149
- Aqua frigida cur virgo dicta sit olim Romae. 29
- Et ubinam sit Romae fons illius. 30
- Artifex Campanarum Vannuccius Biringuccius. 78
- Argentorati, vel Argentina, Turris admirandae altitudinis habet Campanas musicas, & Horologium admirandum. 84. 85
- Aule regia locus fulmine ictus. 139
- B
- B**aptismus Campanae quomodo sit intelligendus. 44. 46
- Baptismus, vox Graeca est, à verbo Graeco; βάπτω, quod est, lauo, & per vocem à verbo Graeco translata, formatur verbum Baptizo, idest, lauo; & Baptistarium, idest Lauacrum, dicitur locus ille, in quo lauatur. 45. 46
- Baptisterium quid sit. *ibid.*
- Basilicarum praecipuarum Romae Campanae. 55
- Basilica Lateranensis mater, & magistra, & caput omnium Ecclesiarum. 58
- Basilicae sancti Pauli Romae Campanae Anno Domini 1610. die 24. Octobris personuerunt sponte sua. 69



I N D E X.

<p><i>Basilicæ S. Petri Campanæ inscriptio explicatur.</i> 55. 56</p> <p><i>Basilicæ sancti Petri Romæ fores ab Agarenis direptæ, ex Argento restitutæ à Leone Papa.</i> 88</p> <p><i>Basilicæ sancti Petri Campanæ Bonifacij Octavi, &amp; Innocentij Sexti tempore fuisse, Inscriptionibusq. ornata.</i> 89</p> <p><i>Earundem Campanarum Inscriptiones explicantur.</i> 90. 91. 92</p> <p><i>Basilicæ Lateranensis, &amp; sanctæ Mariæ Maioris Campanæ, earundemq. Inscriptiones.</i> 93</p> <p><i>Balneum Hippie duobus Horologijs exornatum.</i> 10. &amp; 144.</p> <p><i>Bellum sacrum, idest, Cruciatum, cur gerebatur.</i> 160. 162.</p> <p><i>Bennonis Campanæ benedictæ totum territorium Misnense; &amp; Scomberch à fulgure, ac tempestate conseruant.</i> 137. 138</p> <p><i>Bennonis nomen à Slauorum lingua translatum, Benedictus Latine dicitur.</i> 138</p>	<p><i>Bibliotheca Angelica.</i> 63</p> <p><i>Biringuccius Artifex Campanarum.</i> 78</p> <p><i>Bombardæ, Organi, Horologij, &amp; Campanæ inuentores ignorantur.</i> 13. 38</p> <p><i>Bonifacij Octavi beneficia erga Basilicam S. Petri.</i> 89</p> <p><i>Bononiensis Campanæ notandum.</i> 53</p> <p><i>Bononiæ Campanæ olim musica.</i> 95</p> <p><i>Bullam in Feria V. maioris Hebdomadæ promulgandi Ritus explicatur.</i> 159</p> <p><i>Bulla Nicolai III. in magnis Ecclesiæ calamitatibus.</i> 160. 161</p> <p style="text-align: center; margin: 20px 0;">C</p> <p><b>C</b> <i>Alixii Papæ votum contra Turcas.</i> 128</p> <p><i>Campanæ apud Ethnicos olim in usu.</i> 3</p> <p><i>Campanæ in toto Orbe Christiano adhibentur.</i> 1</p> <p><i>Campanarum inuentio, &amp; antiquitas.</i> 1. &amp; sequ.</p> <p><i>Campanarum usus ante Christi Domini nostri Auentum in carne, octoginta</i></p>
---	---

I N D E X

<p><i>circiter annos vigeat.</i> 10</p> <p><i>Campanarum usus in Ecclesia à S. Paulino Episcopo Nolano inuentus probatur.</i> 7</p> <p><i>Sed extra Ecclesiam ante Paulinum, usus Campanae ab Ethnicis inueniebatur.</i> 7</p> <p><i>Campanarum vice, aut loco, sacra Ligna in Ecclesia, pulsari solebant ante, ac post tempora Paulini.</i> 8</p> <p><i>Campanae inuentum antiquissimum.</i> 14</p> <p><i>Temporibus Moysis aliquem illius usum fuisse, ostenditur.</i> <i>ibidem.</i></p> <p><i>Campanarum nomina duodecim.</i> 15. &amp; sequ.</p> <p><i>Campana, Horologij, Organi, &amp; Bombardae Inuentores ignorantur.</i> 13. 38</p> <p><i>Campana dicta est à Campania, Italiae Regione.</i> 26</p> <p><i>Campanae vocabulum cur ante S. Hieronymi aetatem non reperiatur.</i> 27</p> <p><i>Campanarum usus apud Ethnicos multiplex.</i> 27. &amp; sequ.</p> <p><i>Pro Thermarum usu.</i> 28</p>	<p><i>Pro Mercatu indicendo.</i> 31</p> <p><i>Pro triumpho, &amp; supplicio extremo.</i> 32</p> <p><i>Pro funeribus.</i> 33</p> <p><i>Pro sacris, &amp; Excubijs, &amp; propriuatis Aedibus.</i> 35</p> <p><i>Pro distinguendis horis.</i> 37</p> <p><i>Campanae consecrationis verba, &amp; res in ipsa consecratione adhibita.</i> 40. 41. 44. 50. 51.</p> <p><i>Campanae aqua benedicta lauantur, Oleo infirmorum, &amp; Chrismate unguuntur, eisque nomina imponuntur.</i> 44. 51</p> <p><i>Campanarum consecrationis causa, &amp; effectus, atque nomina earumdem.</i> 42. 43. 46. 47. 50. 51.</p> <p><i>Campanae Baptismus quomodo sit intelligendus.</i> 44</p> <p><i>Campanae consecratio, aut benedictio cum careat Baptismi forma, non est proprie Baptismus.</i> 46. 50. 51. 52.</p> <p><i>Campana per aquam benedictam suo modo lauatur, &amp; à sordibus, &amp; in-</i></p>
--	--

- quinamentis malignorum  
spirituum Oleo sancto, &  
Chrysmate, necnon Thy-  
miamate, Thure, ac Myr-  
rha, & signis sanctæ Cru-  
cis munitæ custodiuntur. 46
- Campanæ suo modo baptizā-  
tur, idest, lauantur, eisque  
nomina imponuntur. 47
- Campana Basilicæ Latera-  
nensis à Ioanne XIII. con-  
secrata, & nomen imposi-  
tum. 47. 48
- Super Campana peieran-  
tes cœlitus puniti. 59
- Campana fugitiua exorcismo  
adiuratur, ut non disce-  
dat. 60
- Campana Senonensi hostes fu-  
gati narrantur. 61
- A Clothario Rege ablata,  
& Parisios translata, soni  
gratiam amisit; reddita,  
pristinum sonum recepit.  
61. 62.
- Campana Vililla, vel Vili-  
glia sponte sonans. 62. 63  
& sequ.
- Campanæ aliæ sponte sonan-  
tes. 65. 66. 67. 68. 69
- Campanarum usus in Eccle-  
sia Sabiniano adscribitur. 5
- Hæc opinio cōfutat: quia  
tempore S. Hieronymi an-  
te Sabinianū ducentos cir-  
citer annos hic usus vige-  
bat. 6
- Campanarum pulsationes tē-  
pore sepulturæ Defuncto-  
rum à Calvinistis prohibi-  
tæ. 4 & 138
- Campanæ multæ cur Mariæ  
nomine insignitæ reperian-  
tur. 52
- Campana maxima Cathe-  
dralis Ecclesiæ Lutetiæ Pa-  
risiorum, Mariæ nomine  
insignita, viginti viros  
flagitat pulsanda, & per  
septem leucas auditur. 53
- Campana Rothomagensis, &  
Bononiensis magnitudo ad-  
miranda. 53
- Campanæ maiores Basilicæ  
S. Pauli Romæ Anno Do-  
mini 1610. die 24. Octo-  
bris personuerunt sponte  
sua. 69
- Campana sub terra sponte  
sonans inuenta fuit, infra  
quam erat imago Beatæ  
Mariæ semper Virginis.  
68.
- Campanarum origo à Tubis

I N D E X.

<i>veteris Testamenti deducta.</i>	71. 72	<i>tur.</i>	82. 83. 84
<i>Campanas consecrandi, aut benedicendi, &amp; unguendi, eisq. nomen imponendi Ritus antiquus.</i>	38. 39. 40.	<i>Campanæ, quæ suauem, &amp; amœnum, vel etiam musicum sonum in Italia efficiunt.</i>	94. 95
& 44		<i>Campanas benedicere, ac unguere, eisq. nomen imponere nouum videri non debet, ait Alcuinus, qui circa Annum Domini 770. vixit.</i>	49
<i>Campanarum admiranda.</i>	59. & sequ.	<i>Campanæ missæ ad Imperatorem Græcorum à Duce Venetiarum circa Annum Domini 865. sub Nicolao Primo.</i>	48. 49
<i>Campanarum sonitus diuersi unde orientur.</i>	76. 77	<i>Campanæ consecrationis verba.</i>	50
<i>Campanarum concentus musicus, ac Turrium præstantia.</i>	79. 80. 81	<i>Campanæ consecratio in Hispania Compates etiam admittit.</i>	51. 52
<i>Campana maxima Leodij à quattuor &amp; viginti hominibus pulsatur.</i>	83	<i>Campanæ Basilica Lateranensis, &amp; sanctæ Mariæ maioris, earumdemq. Inscriptiones.</i>	93
<i>Campanarum multitudo in eadem Turri.</i>	83. 84	<i>Cāpana maior Ecclesiæ Iesuitarū, eiusdēq. inscriptio.</i>	94
<i>Campanarum materia, forma, &amp; regula fundendi eas.</i>	77	<i>Campanæ permultæ cur Mariæ, necnon Sanctorum, &amp; Sanctarum nomine insignitæ reperiuntur.</i>	53
<i>Campanæ lingua quenam sit.</i>	78	<i>Campanam pulsandi Ritus</i>	
<i>Campanarum harmonia.</i>	80. 81. 82.		
<i>Campanæ triginta tres unica in Turri.</i>	81		
<i>Campanæ Organum representant.</i>	80. & sequ.		
<i>Campanæ Organorum instar digitis, ac pedibus pulsantur.</i>			

- in Vespere, Mane, ac Meridie quisnam, & cur instituerit.* 117. & 123
- Campanarum usus multiplex in sancta Dei Ecclesia receptus.* 108. & sequ.
- Campana benedicta à S. Benone miraculum.* 137. 138
- Campana à Laicis pulsanda non sunt, sed saltem à Clericis superpelliceo indutis.* 101. 106. 107. 108
- Campanas pulsandi officium à Presbytero subterfugendum non est; & cur ita.* 103. 105. 106.
- Campana Basilicarum precipuarum Romæ.* 55
- Campana Ecclesiastica à Tubis Veteris Testamenti originem trahunt, & ora Prædicatorum Novi Testamenti significant.* 103. 104. & 105
- Campana lingua est plectrum ferreum, & Prædicatorum significat linguam.* 104
- Campanæ funis quid significet.* ibid.
- Campana de se loquens inducitur, ut sua narret officia.* 109.
- Campana à Campania, & Nola à Nola Campana dictæ sunt.* 113
- Campana usus in Ecclesia inuentor quisnam fuerit.* 111. 112. 113
- Campana pulsanda usus varius.* 144. & 146
- Campanas quibusnam temporibus pulsare non liceat, & cur ita.* 148. 149. & sequ.
- Campanarum numerus Ecclesiis concessus.* 153. & sequ.
- Lis de Campanarum numero suborta.* ibid.
- Campanarum numerum constituit S. Karolus Borromeus in libro de instructione Fabricæ, & supellectili Ecclesiastica.* 154. 155
- Campana apud Ethnicos cur in funeribus pulsabantur.* 33
- Campanarum sancti, Abudius, ac Theodorus in Martyrologiū relati.* 97. 98. 99. 100
- Campanarijs, vel Matricularijs non licet nutrire barbam, aut veste laicali in Ecclesiis circumcuritare, nec sine superpelliceo Cam-*

I N D E X.

- panas pulsare.* 107.108
- Campanarius, vel Custos, siue Mansionarius quinam sit.* 96.97. & sequ.
- Campanarius olim sub nomine Custodis, & Mansionarij sumebatur ante mille & amplius annos.* 100.
- Campanarius Ordinibus saltem minoribus, vel prima tonsura decoratus esse debet, & cur ita.* 100.101
- Campi Martij, ac Triuij Fōs aqua Virginis dictus.* 30
- Candela in triduo Hebdomadae sanctae ad Matutinum in candelabro extingui consuetae, una excepta, quid representent.* 149
- Candela in excommunicatione promulganda extincta, & humi deiecta cur excommunicatos declarent.* 159
- Calixti Tertij Papae votum.* 128
- Carnifices tintinnabula ferebant, & Tintinnaculi, vel Tintinnaphori dicebantur, & Lanij.* 33
- Cardinalium, Praelatorum, & Magnatum Familiae*
- per Tintinnabulum conuocari solent.* 147
- Carmelitarum Campana subterranea sponte sonans.* 67.
- Catania in Sicilia fuit ab incendio miraculosè liberata, Volo sanctae Agathae ante incendium expanso, cum dies Martyrij eiusdē Sanctae anniuersarius foret. Istuc ipsum fieri solet ad hanc vsque diem, dum igneum flumen ab Aetna eructatur.* 58
- Ciceronis iocus de Disco crepitante.* 30
- Clerus congregatur, & Populus conuocatur ad officia diuina, & Conciones audiendas per Campanas.* 110.111. & sequ.
- Cloca pro Cāpana, vox Germanica, & Gallica.* 25
- Codon pro Campana cur ita dicatur.* 18
- Collecta quot significet, & unde dicatur.* 9.10
- Commentarius de Campanis cur conscriptus.* 28
- Compatres in consecranda Campana apud Hispanos*

*admit-*

I N D E X.

<p><i>admittuntur.</i> 51.52</p> <p><i>Citarædi, ac Surdaſtri Hiſtoria.</i> 12</p> <p><i>Conſecrationis Campanæ verba.</i> 41</p> <p><i>Crepitaculum, &amp; Crepitacillum quid.</i> 24</p> <p><i>Crotalum pro Campana, vox Græca eſt, quæ Latine Crepitaculum, &amp; Crepitacillum dicitur.</i> 24</p> <p><i>Crotalus per metaphoram dictus eſt ille, qui voce ſonanti, vel loquacitate ſua neminem non obtundit.</i> 24.</p> <p><i>Cruciata, quæ dicitur Bellum ſacrum, cur gerebatur.</i> 160.161.</p> <p><i>Cuſtodis Officium quidnam ſit.</i> 96.97. &amp; ſequ.</p>	<p><i>tantes, &amp; Campanarum ſonitum audientes, effugiunt, &amp; cur ita.</i> 132.135.137</p> <p><i>Demonibus verba illa ad Incarnationem Dei pertinentia maiorem in modum formidanda.</i> 54</p> <p><i>Miraculum per illa verba præſtitum.</i> 54</p> <p><i>Demonibus quam in re Turcæ, &amp; Hæretici aſſimilentur.</i> 4.138</p> <p><i>Demonibus, Deo permittente, ſicut Angelis bonis, corporea quantum ad motum obediunt ad nutum.</i> 55. 136. &amp; 137.</p> <p><i>Demonibus aſſimilatur Excommunicati.</i> 158</p> <p><i>Et per candelas extinctas, &amp; humi deiectas declarantur tales.</i> 159</p> <p><i>Defuncti antequam ad Eccleſiam deferantur, &amp; dum item deferuntur ad eam, cur Campanæ pulſentur.</i> 133.134.135</p> <p><i>Huius generis Ritus inſtitutus, Caluinibus vetitus.</i> 4</p> <p><i>&amp; in ſancta Dei Eccleſia eſt per antiquus.</i> 133</p>
--	---

D

**D**æmones Campanæ tinnitu fugari, ſuperſtitiouſè credebat Gentilitas.

34 35.135.

*Dæmones, Deo permittente, fulgura, & tempeſtates concitare poſſunt.* 55

*Dæmones per aërem curſi.*

*Defunctorum corpora ſepe.*

Z lienda,

I N D E X.

<p><i>lienda, cur luminaribus accensis ad Ecclesiam deferantur.</i> 134</p> <p><i>Defunctos tanquam Athletas comitamur. ibidem.</i></p> <p><i>Defunctorum sepulturae tempore, Campanarum pulsationes à Calvinistis prohibita.</i> 4. &amp; 138</p> <p><i>Dei natura, bonitas; Voluntas, potentia; Opus, misericordia est.</i> 73</p> <p><i>Discipulorum fugientium in Christi passione, ac morte notandum.</i> 150</p> <p><i>Dona nobis pacem, cur tertia vice dicitur in Agnus Dei, ad Missam, Basilica Lateranensi excepta, in qua tribus vicibus uniformiter dicitur, Miserere nobis.</i> 163. 164</p>	<p><i>A</i>Enigmata duo de Campana. 156. 157</p> <p><i>A</i>Erumentum pro Campana. 22. 23</p> <p><i>A</i>Es Dodonaum unde dicitur, &amp; cur pro Campana sumi consueuerit. 22</p> <p><i>A</i>Es Dodonaum prouerbialiter sumptum pro garrullo. 22</p> <p><i>A</i>Es Temeseum quid sit. 26.</p> <p><i>A</i>Ethnae Montis in Sicilia incendium uel sanctae Agathae repressum. 57. 58</p> <p><i>Excommunicati Dæmonibus assimilantur.</i> 158</p> <p><i>Et per Candelas extinctas, &amp; humi deiectas, declarantur tales.</i> 159</p>
---	--

F

<p><b>E</b></p>	<p><i>E</i>ria V. maioris Hebdomadae Bulla explicatur. 159.</p> <p><i>F</i>estis diebus, &amp; sacris Processionibus, &amp; in gratiarum actione, cur Campanae pulsantur. 131. 132</p> <p><i>F</i>ons Triuij Aquae Virginis dictus, &amp; cur ita. 30</p>
-----------------	---



I N D E X.

*Fridericus II. Imperator*  
*tertia vice excommunicatus, & Imperio priuatus,*  
*Romanum, & Summum*  
*Pontificem vexabat. 116*

*Frigidaria cella quid sit. 45*

*Fulgura, & fulmina, nec-*  
*non pluuiæ, ac tempesta-*  
*tes Campanarum sonitu*  
*suspeduntur, & expellun-*  
*tur. 136*

*Fulgura, & tempestates per*  
*Campanas cōsecratas ex-*  
*pelluntur, dum ipsæ pul-*  
*santur. 43. 58. 136. &*  
*sequ.*

*Funis Campanæ quid signi-*  
*ficet. 104*

G

**G***Allus effectus modo suo*  
*cantat. 86*

*Genus flexio quando fieri non*  
*debeat in Angelica Salu-*  
*tatione recitanda, & in*  
*alijs orationibus. 118. 119*  
*120. 121. & 122.*

*Genus flexio non uno genu so-*  
*lo, sed duobus genibus fie-*  
*ri debet. 118. 119*

*Græci turcico imperio subie-*

*cti Campanis carere iu-*  
*bentur. 2. & cur ita. 3*

*Gymnasia, Collegia, Xeno-*  
*dochia, Cœnobia, & Vni-*  
*uersitates Horologio, &*  
*Campana indigent. 145*

H

**H***Agiosiderum, idest, san-*  
*ctum ferrum, quid sit. 3*

*Harmonia Campanarum*  
*musica. 79. 80. 81. & seq.*

*Hebdomadæ sanctæ in triduo*  
*cur non liceat pulsare*  
*Campanas. 148. & sequ.*

*Henricus V. Imperator à Pa-*  
*schali II. excommunic-*  
*tus. 141*

*Hæretici, Huguenoti, vel*  
*Hugonistæ Campanis bel-*  
*lum indixerunt. 4*

*Hæretici, ac Turcæ magnam*  
*similitudinem, & conue-*  
*nientiam cum Dæmonibus*  
*habent. 5. & 138*

*Hæretici, ac Turcæ quam*  
*in re Dæmonibus assimi-*  
*lentur. 4. 138*

*Hieronymi Magij Patria.*  
*76.*

*Hierophanta Proserpinæ Sa-*

I N D E X.

- cerdos.* 35
- Hierophanta, idest, Sacerdos Proserpine, Tintinnabulum, vel Campanam in sacris pulsare solebat.* 35.
- Hippiæ Balneum duobus Horologijs ornatum.* 10. & 144.
- Hispaniæ Ritus in consecranda Campana etiam Compatres, & candidam vestem Campanæ impositam admittit.* 52
- Horiæ Canoniciæ cur septem fuerint institutæ.* 114. 115
- Horologium Venetorum admirandum, & valde insigne.* 86
- Horologijs admirandis Campanariæ Turres insignite, & Gallis cantantibus exornatæ.* 87
- Horologium per aquam, & sonitum Hydorologium nuncupatur.* 10. & 144
- Horologiorum usus* 37. & 144
- Horologi primus inventor ignoratur.* 37. & 144. & sequ.
- Horologium Octavianii Augusti Obelisco additum.* 145
- Horologium per aquam, & sonitum: alterum per Solem.* 10. & 144
- Horologi, & Hydorologi usus antiquus.* 10. 37
- Horologi, Campanæ, Organi, & Bombardæ inuentores ignorantur.* 13. 38
- Horologium mira arte constructum varias representat Imagines, & Angelos personantes tubas, dum horæ pulsantur.* 85
- Horologio, & Campana indigent Collegia, Vniuersitates, Gymnasia, Xenodochia, & Cœnobia.* 145
- Hydorologi, & Horologi usus antiquus.* 10. 37
- Hydorologium est Horologium per aquam, & sonitum Clementi Octauo donatum.* 10. & 144

I

- I**esuitarum Ecclesiæ Campana maior, eiusdemq. Inscriptio. 94
- Imperator, & Rex oleo sacro Cathecumenorum inunguntur.* 141

I N D E X.

*Inscriptiones in Basilica sancti Petri Romæ Campanis incise.* 90.91.92

*Inscriptio ad sanctam Agatham pertinens, & in Campanis apponi consueta explicatur.* 55.56.57

*Interdicti tempore Campanas pulsare non licet nisi in Mane, Meridie, ac Sero pro Angelica salutatione recitanda.* 151

*Nonnulla vero priuilegia tempore interdicti concessa, vide in pag.* 151.152

*Inuentio, & antiquitas Campanarum.* 1

*Inuentores Bombarda, Organi, Horologij, & Campanæ ignorantur.* 13

*Iuramentum super Campanas præstitum in Hibernia, & Scotia quanta ueneratione habeatur.* 59.60

K

*S. Karoli Borromæi liber de Instructione Fabricæ, & supellectili Ecclesiastica.* 154

*Karoli Magni capitulare.* 25

*Karoli Magni Præceptor, Alcuinus, Bedæ Presbyteri discipulus.* 39

*S. Katharinæ ad Funarios Campanule musicæ.* 95

L

**L** *Aicis nullo modo licet pulsare Campanam, nec ab Ecclesiasticis sine superpelliceo.* 108

*Lanij, idest Carnifices.* 33

*Lebes cur pro Campana sumi consueuerit.* 21

*Leodij Campana maxima, 24. homines ad pulsationem requirit.* 83

*In Ecclesia S. Pauli eiusdem Ciuitatis Campanæ 24. sunt Organorum instar.* 84. 88

*Leo Romanus Pontifex Maximus Vaticanum mœnibus cinxit, Leoninamque Urbem de suo nomine appellauit.* 88

*Et fores Basilicæ sancti Petri ex argento restituit. ibidem.*

*Leonini versus quinam sint.* 109.

I N D E X.

- Lingua Campanæ quænam sit, & cur ita dicatur.* 73
- Lingua Campanæ est plectrũ ferreum, & Predicatorum linguam significat.* 104.
- Luna laborans cur apud Ethnicos dicebatur, & cur itè rubens.* 34
- M**
- M** *Alleus Campanæ Lingua nuncupatur; Græcè autem Rhopalum dicitur.* 78
- Mansionarius, & eius officiũ.* 96. 97. & sequ.
- Mansionarij multi in Ecclesia olim Romana.* 97
- Mansionarij duo à Gregorio Magno nominati, & in Martyrologium relati nũc inveniuntur.* 97. 98. 99. 100.
- Mansionarij, & Custodis nomen ante mille, & amplius annos pro Campanario sumebatur.* 100
- S. Mariæ, necnõ Sanctorũ, & Sanctarũ nomine insignita cur permultæ Căpanæ vocitètur; necnon ipsa nomina, necnon verba ad Incarnationem Dei pertinentia in Campanis incisa inueniantur.* 53. 54. & 55
- S. Mariæ ad Montes Campanulæ musicæ.* 95
- Materia corporalis quantum ad motum Angelis bonis, & Spiritibus malis obedire censetur ad nutum.* 55
- Matutinus, & Vespertinus Campanæ pulsus cur fiãt.* 129. 130.
- Meclinie Campanæ Organorum instar.* 82
- Mentem sanctam spontaneã, Honorem Deo, & Patriæ liberationem. Hæ dictiones per casus obliquos absque ullo verbo, Tabula marmorea incisa inuenta fuerunt, dum corpus Beatæ Agathæ in Sicilia aromatibus condiebantur, explicantur.* 55. 56. 57
- Et cur in Campanis incisæ inueniantur.* 58
- Meridianus Campanæ pulsus à Calixto III. institutus.* 127. 128

- Meschitæ apud Turcas quid sint.* 2
- Miraculum Campanæ benedictæ à S. Bennone.* 137  
138.
- Missæ in sacrificio, Ritum pulsandi Campanas quisnam, & quonam tempore, & cur instituerit.* 115. & 116.
- Miserere nobis, cur tribus vicibus antiquitus dicebatur, sicut nunc in Ecclesia Lateranensi; in ceteris verò Ecclesiis, tertia vice dicitur, Dona nobis pacē, dum Agnus Dei ad Missam legitur, vel cantatur.* 163. 164
- Montis Aetnæ incendium, velo S. Agathæ in Sicilia repressum.* 57. 58
- Musicus Campanarum concentus, ac Turrium præstantia.* 79
- N
- N***icolaus Copernicus arte mathematica peritus cur oculis fuerit orbatus.* 86
- Nola pro Campana cur ita dicatur.* 18. 19. 20. 21. 26
- Nola in cubiculo, quid sibi hoc prouerbiū velit.* 19
- Nola pro Campana ante Paulinum Nolanum dicebatur.* 19. 20
- Nolanum, vel Nolare pro Campanili sumptum.* 20. 21.
- Nola à Nola Campaniæ Vrbe; & Campanæ à Campana dictæ sunt.* 113
- Numerus Campanarum Ecclesiis concessus.* 153. & sequ.
- Lis de Campanarum numero suborta.* ibidem
- O
- O***ccasio scribendi commentarium de Campanis.* 28
- Octauiani Augusti Horologium additum Obelisco.* 145.
- Officia diuina, horarum distinctionibus comprehensa, quæ sunt septem Horæ Canonice, iuxta septem hominis ætates, instituta*

viden-

# I N D E X

<p><i>videntur.</i> 114</p> <p><i>Oratio cur Collecta fuerit nuncupata.</i> 9</p> <p><i>Ordo Romanus est liber antiquissimus.</i> 24. 40</p> <p><i>Organi, Campanæ, Horologij, &amp; Bombardæ inuentores ignorantur.</i> 13. 38</p> <p><i>Organorum instar, Campana digitis, ac pedibus pulsantur.</i> 82. 83</p> <p><i>Ostiarij officium est etiam pulsare Campanas.</i> 102</p> <p style="text-align: center;"><b>P</b></p> <p><b>P</b> <i>Apæ nomina.</i> 140</p> <p><b>P</b> <i>Paralipomena, hoc est, res prætermisæ.</i> 158</p> <p><i>Paschatis tempore, ac Pentecostes Angelica salutatio, &amp; Antiphona, Regina Cæli, &amp;c. sine genus flexione recitari debet.</i> 118. 119. 120. &amp; 121.</p> <p><i>Paulino, &amp; Sabiniano quoniam modo usus Campanæ in Ecclesia sit tribuendus.</i> 7. 111. 112. &amp; 113.</p> <p><i>Paulinus S. Hieronymi coetaneus, &amp; S. Augustini discipulus.</i> 113</p>	<p><i>Peierantes super Campanas cœlitus puniti.</i> 59</p> <p><i>Pestis in Regno Cæsaraugustano.</i> 63</p> <p><i>Petasus pro Campana, cur ita dicatur.</i> 17. &amp; sequ.</p> <p><i>Philippi Tertij Hispaniarum Regis libellus supplicis de B. Isidoro, &amp; Campanis sponte sonantibus.</i> 67</p> <p><i>Pluuia, vel tempestates, Campanarum sonitu expelluntur.</i> 136</p> <p><i>Presbyter Campanam pulsare non despiciat.</i> 103. 105</p> <p><i>Propositio indefinita sine signo uniuersali sumitur pro uniuersali.</i> 107</p> <p><i>Prosopopeia quid sit.</i> 108</p> <p style="text-align: center;"><b>Q</b></p> <p><b>Q</b> <i>Vintæ Ferie maioris Hebdomadæ Bullæ explicatur.</i> 159</p> <p style="text-align: center;"><b>R</b></p> <p><b>R</b> <i>Egistra Summorum Pontificum asseruata in Bibliotheca Vaticana.</i> 151. &amp; 152.</p> <p><i>Rex, &amp; Imperator sacro Cathæcumenorum oleo inunguntur.</i> 141</p>
---	---

I N D E X.

<p>Romanarum Basilicarum, præcipuarum Campanæ. 55.</p> <p>Romæ direptio, seu depopulatio. 62</p> <p>Rothomagēsis Campanæ notandum. 53</p> <p style="text-align: center;"><b>S</b></p> <p><b>S</b>abbati sancti die maioris Hebdomadæ ad Missam antequam Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis Campana pulsetur, alijs Ecclesijs non licet pulsare Campanas ex Decreto Leonis Decimi, sub pœna centum ducatorum. 150</p> <p>Sabiniano, &amp; Paulino quonam modo usus Campanæ in Ecclesia sit tribuendus. 5.6.111.112.113.</p> <p>Sacristæ minister. 96</p> <p>Saladinus, vel Sultanus, Capta Hierosolyma, quid fecerit de Templis, &amp; Campanis. 4</p> <p>Salernitanæ Ecclesiæ Campana sponte sonans. 66</p> <p>Schola Cantorum, idest, Chorus. 163</p>	<p>Septies, particula adverbialis, quæ sumatur modis. 114. 115.</p> <p>Signum pro Campana frequenter scriptum reperitur, quia sonitu illius datur signum faciendi aliquid. 24.25.</p> <p>Sonitus Campanarum diversi unde orientur. 76. 77</p> <p>Squilla pro Campanula: &amp; quænam vox illa sit, ignoratur: hac tamen voce utuntur Scriptores Itali; &amp; ad hanc usque diem, vox est in usu. Magij opinio confutatur. 23.24</p> <p>Surda stri, ac Citharæ dihistoria. 12</p> <p>Symandrum, vel Synandrum quid sit. 3</p> <p style="text-align: center;"><b>T</b></p> <p><b>T</b>emplum, teste Iuone, suo modo baptizatur, idest, lauatur. 47</p> <p>Tempestates, Fulgura, &amp; Fulmina, Campanarum sonitu suspenduntur, &amp; expelluntur. 136</p> <p>Theodorus, &amp; Abundius Custodes,</p>
--	--

I N D E X

<p><i>Stodes, Mansionarij, vel Campanarij, in Martyrologium Romanum relati.</i> 97. 98. 99. &amp; 100.</p> <p><i>Thermarum Campana, &amp; historia.</i> 29</p> <p><i>Tinnellum unde dicatur.</i> 17. &amp; 147.</p> <p><i>Tinnellum, prandio, ac coena Aulicorum destinatum unde dicatur.</i> 17</p> <p><i>Tinnitus de metallis proprie dicitur.</i> 17</p> <p><i>Tintinnabula proprie dicta quanam sint.</i> 147</p> <p><i>Tintinnabulorum maiorum varius usus apud Ethnicos.</i> 12. 13. 27. &amp; sequ.</p> <p><i>Tintinnabulum vendendoru piscium signum. ibidem.</i></p> <p><i>Tintinnabulum etiã pro maiori Campana sumitur.</i> 31. 32</p> <p><i>Tintinnaculi, vel Tintinnaphori, idest, Carnifices, cur ita dicti.</i> 33</p> <p><i>Tintinnabulum quid sit, &amp; unde dicatur.</i> 16. 17</p> <p><i>Triginta tres Campana in turri Ecclesie Antuerpiensis.</i> 81</p> <p><i>Triuuj fons aquae cur Virginis</i></p>	<p><i>dictus.</i> 30</p> <p><i>Tubarum, &amp; Campanarum similitudo.</i> 72</p> <p><i>Dissimilitudo earumdem.</i> 75</p> <p><i>à Tubis originem habent Campana.</i> 71</p> <p><i>Tubae Veteris Testamenti, &amp; Campana Noui Testamenti quid significant.</i> 103. 104. &amp; 105</p> <p><i>Turcae, &amp; alij Infideles cur Campanis non vtantur.</i> 1</p> <p><i>Turcae, Constantinopoli capta, ex Campanis bombardas fecerunt.</i> 2</p> <p><i>Turcarum templa Meschita dicuntur.</i> 2</p> <p><i>Turcarum Turres altissima sunt.</i> 2</p> <p><i>Turcico imperio subiecti Graeci Campanis carere iubentur.</i> 2</p> <p><i>&amp; cur Campanis carere iubeantur.</i> 3</p> <p><i>Turcae, &amp; Haeretici cur Daemonibus assimilentur.</i> 138</p> <p><i>Turcae Campanarum usum non admittunt.</i> 4. 5</p> <p><i>Turcae, atque Haeretici magnam similitudinem, &amp; conuenientiam cum Dæ-</i></p>
---	--



I N D E X.

monibus habent. 5. & 138  
 Turcæ, Hierosolyma capta,  
 Campanas è Turribus de-  
 iccit. 4  
 Turris admirandæ altitudi-  
 nis. 80. 81. Habet trigin-  
 ta tres Campanas. 81  
 Admirandæ altitudinis,  
 ac structuræ. 84. 85  
 Turres Campanariæ admi-  
 ranæis Horologijs insigni-  
 te, & Gallis cantantibus  
 exornatæ. 87  
 Turris Basilicæ S. Petri Ro-  
 mæ cur omnium prima in  
 Orbe dicta sit. 87. 88

V

**V** Annuccius Biringuc-  
 cius artifex Campana-  
 rum. 78  
 Verbum caro factum est; ver-  
 ba hæc in Campanis cur  
 apponi soleant. 54. 55  
 Miraculum per hæc ver-  
 ba præstitum. 54. Hæc  
 verba, & id genus alia,  
 ad Dei incarnationem  
 pertinētia, Demonibus val-  
 de formidanda. *ibid.*  
 Vespere, & Mane, ac Meri-  
 die, Campanam pulsandi

Ritus non caret Mysterys.  
 117. 119. 120  
 Horum temporum Myste-  
 ria explicantur. 119. 120  
 Vespere, & Mane, & Meri-  
 die Campanam pulsandi  
 Ritus quinam, & cur in-  
 stituerint iuxta temporum  
 diuersitatem. 125. 126. 127  
 128. 129. 130.  
 Vespertinus, & Matutinus  
 Campanæ pulsus cur fiant.  
 129. 130.  
 Versus Leonini quinam sint.  
 109.  
 Vililla, vel Viliglia Campa-  
 na sponte sonans. 62. 63  
 & sequ.

Virgo, id est, aqua frigida, &  
 cur ita Romæ dicta fuerit.  
 29. & ubinam Romæ sit  
 fons illius. 30

X

**X** Enodochia, Cænobia,  
 Vniuersitates, Collegia,  
 & Gymnasia Horologio,  
 & Campana indigēt. 145

Z

**Z** Onaras de Nolis appen-  
 sis currui triumphan-  
 tis. 32



# DE HOROLOGIIS

## ET CAMPANIS

HOC IN COMMENTARIO  
delineatis, & ære incisis, Declaratio.



VM de Turrium præstantia, & admirandis quorūdam Horologiorum structuris, necnon de musico Campanarum concentu, musicam item Organorum harmoniam representante, loqueremur, in medium attulimus nonnullā, quæ indigebant delineatione, vt quæ scripta sunt, facilius intelligerentur.

Cap. 12.

Ad hanc rem præstandam primo loco apponere libuit Horologium Sancti Marci Venetiarum delineatum, & ære incisum.

Pag. 86.

Campanula illa, quæ sub maiori Campana horarum extare cernitur, malleolo percussa, anteaquam horę pulsentur, dat soni-

a tum,

Pag. 86.

Franc. Sanf.  
lib. 8.

tum, quo dato, Campana horarum hinc inde pulsatur à duobus effictis ex ære Mauris. Deinde è duorum ostiolorum vno, inter quæ Deiparæ Mariæ semper Virginis sculpta infra Horologium Imago sedens repræsentatur, Angelus tubam, vti iam diximus, personando exit, vt alterum ostiolum ingredia- tur, à tribus comitatus Magis, qui dum ante dictam Imaginem transeunt, sese artificiosè flectunt, & inclinato capite, manu ad frontem directâ, ipsam Imaginem, corona è capite cuiusque amota, venerantur, Angelumq. intra ostiolum ingredientem sequuntur. Id quod Franciscus Sansouinus in eiusdem Ciuitatis descriptione satis fusè, ac bellè quidem scriptum reliquit.

Stella vero, quæ supra Imaginem Deiparæ Mariæ semper Virginis cernitur, Magis infra transeuntibus apparet, deinde in suum sese retrahit locum; Infra denique cernitur Sphæra stellaria, & horaria, in qua repræsentantur duodecim Signa cælestia, & Solis radius horas ostendens, atque item Sol ipse, qui singulo quoque Mense in domo sibi præfixa manet. In centro autem Sphæræ cernitur Luna, quæ inter multitudinem Stellarum

suas

suas facit mutationes . Infra vero Campanam horarum per Leonis Imaginem iuxta Scripturam Sacram repræsentatur Sanctus Marcus Euangelista , præcipuus Venetiarum Protector , ad cuius pedes Dux item Venetus cernitur genuflexus . Hæc de Horologio Sancti Marci Venetiarum .

Apocal. 4.

Secundo loco sese nobis offert explicandum Horologium Leodij , quod est Germaniæ inferioris, hoc est, Flandriæ Ciuitas maxima : Ibi enim præter magnitudinem , & multitudinem Campanarum , quæ dum organorum instar pulsantur , musicum reddunt concentum , vt in capite 12. satis fusè narrauimus ; in Ecclesia Cathedrali , Sancto Lamberto dicata, extat etiam Horologium mira arte constructum , sicut Rotæ , ac funiculi multiplices præferunt . Quælibet enim hora in quattuor distinguitur partes , quæ à quattuor Statuis illis ex ære fictis distinctè pulsantur ; quibus pulsatis , à Statua illa inferiori pulsatur Horarum Campana , quæ Horas distinctè personando refert .

Cap. 12. pag. 82. 83. 84.

Cap. 12.

Tertio loco repræsentatur modus pulsandi magnas in Belgio Campanas , hoc est , in Flandria , Galliæ Belgicæ Regione . Nam

Cap. 12. pag. 83.

in Cathedrali præsertim Ecclesia Leodiensi Sancto Lamberto dicata (vt etiam in capite duodecimo huiusce Commentarij dictum fuit) octo sunt amplissimæ Campanæ; minuscule verò duodecim ad Horarum pulsationem accommodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quattuor & viginti requiruntur homines. Maxima hæc enim Campana duabus, & quidem magnis est cinctæ rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsum pendentibus funibus, quibus item alligati sunt quattuor & viginti alij funiculi. Deinde homines duodecim trahunt vice versa funes ab vna parte; ita vero, vt, quando pars vna deorsum trahit, altera sursum trahat. Qui sane modus in pulsandis Campanis pro musico efficiendo concentu per totum Belgium obseruatur, sicut dictæ Ciuitatis, & Regionis Indigenæ; qui Romæ degunt, omnino affirmant.

Quarto denique loco sese nobis offerunt triginta tres promiscuæ magnitudinis Campanæ, delineatæ, ac ære incisæ, quæ sunt in Cathedrali, & primaria quidem Antuerpiensi Ecclesia; Deiparæ Marię semper Virgini dicata; cuius Turris admirandæ altitu-

dinis , ac structuræ dictas continet Campanas. De præstantia huiusce Ecclesiæ, ac Turris, necnon de dictis Campanis, earumq. harmonia musica sermonem habuimus in duodecimo huiusce Commentarij capite iuxta Georgij Braunij verba . Nunc autem ad maiorem dictæ delineationis Campanarum intelligentiam nonnulla explicanda censeantur. Turris enim triginta trium Campanarum non solum est alta pedes quadringentos viginti, vti suo iam diximus loco, sed in-

Cap. 12.  
pag. 81. 82.

Pag. 81.

tus habet trecentos, & sexaginta tres gradus, per quos ascenditur ad Campanarum fastigium . Habet etiam intus diuersa loca satis ampla, in quibus pendent Campanæ, præsertim vero triginta tres promiscuæ magnitudinis Campanæ illæ, quæ quotidie tam pro diuinis officijs, quàm animi causa, siue pro oblectamento præstando pulsantur . Supra dictas Campanas extat Horologium cum Campana, quæ pulsat horas . Extat etiam superius alia contignatio, in qua pendent Campanæ, quæ præludium aliquod, vel, vt Musici aiunt, Motectum, in maioribus nempe Festiuitatibus, anteaquam horæ pulsentur, sonant . Alio denique in loco ad latus eius tres

magnæ



















